IOACHIMI
RINGELBERGII
ANTVERPIANI
Elegantiæ.

Cornelius Grapheus, ſtudioſæ iuuētuti.

Studioſe, & elegans puer,
Vis Elegantias meras,
Quibus vel elegantior,
Vel purior, vel terſior
Fias ? libellum hunc paruulum
Emptum ære paruo, ter, quater
Lectum, relectum, ediſcito.

Proſtant Antuerpiæ in ſcuto Baſilienſi
apud Gregorium Bontium.

59 3

35.3.A.2

EXIMIO VIRO IACOBO Caſtrico inclytæ urbis Antuerpienſis medico, Ioachimus Ringelbergius Antuerpianus S.

VOces aliquot ſermonis Latini Iacobe doctiſſime, quarū uſus, tum difficilior, tū elegantior uidebatur, deſcripſimus: additis ex Cicerone, Plinio, Quintiliano, Terētio exemplis crebris, quo propius uis earū pcipi queat. Siquidē ex uno aut altero exēplo, nemo ſp uocabuli uim intelligat Præceptionū ſeries huiuſmodi erit: Primū ppauca exponētur de orthographia, analogia, etymologia. Inde ſequūtur nōia, pronōia, participia. Mox uerba Deinde aduerbia, cōiunctiones, præpoſitiōes interiectiones. Poſtremo prouerbia aliquot breuiter declarata cū copiæ exēplis ac ſynonymis nonnullis, quæ ad ſtilū mire conferūt. Iſthæc ideo tradidimus, uti ſcripturi, uel orationē, uel epiſtolā, ad hæc ueluti ad regulā, ſiue amuſſim dirigant ſtilū: hæc inſpiciāt, quādo dubitatio occurret, qua ratione uocibus apte utātur. Haſce præceptiones Iacobe chariſſime nomini tuo dedicamus. Tāetſi tibi ad alta Philoſophiæ faſtigia pueĉto fructus nihil attulerint: tamē filio tuo Iacobo, cui indoles eſt ad literas (ni fallor) promptiſſima, nō erūt infrugiferæ. Vale. Antuerpiæ die. 20. April. An. 1529.

IOACHIMI
RINGELBERGII ANTuerpiani Elegantiæ.

DE ORTHOGRAPHIA

PARtes methodicæ Grammatices quatuor ſunt Orthographia, Proſodia, Etymologia, Syntaxis: quibus reſpondent litera, ſyllaba, dictio, oratio. Recta ſcribendi forma, quã Orthographiam nominant, modis tribus corrumpitur: adiectione, detractione, immutatione. Vt quum ſcribimus relligio per duplex ll, ordeum ſine aſpiratione, ſet per t: pro religio, hordeum, ſed. Corrigitur totidem: autoritate, ἐτυμολογία, ἀναλογία. Autoritas è Cicerone, Plinio, Liuio atq; uiris aliis Latinis petenda. Etymologia ut quum dicimus incohoare cum aſpiratione ſcribendum, quod ſit à Chao dictum, quod rerum cunctarum initium fuit. Proportione, ut quũ dicimus ſeruus in caſu genitiuo ſerui habere, quod uoces omnes inflexionis ſecundæ ſic uertantur. Plerunq; & pleriq; ſine diphthongo ſcribuntur. Autor ſine c, & ſine aſpiratione. Deductum uidetur à græca uoce αὐτὸς, & à dicto uulgari αὐτὸς ἔφα.

Præpoſitio uel aduerbiū cui ſimile aliquod nomen eſt, tono ſignatur: ut à, è, porrò, imò, perpetuò, crebrò, profectò. Item ſi ex præpoſitione, aduerbium fiat, aduerbium notatur accentu: ut contrá. Queis in numero multitudinis eleganter habet diphthon gon. M. Varro: De queis duo prædicere uolo.

Apud ueteres dictio cum tempus ſignificans, per q ſcribebatur: comitem per c: cauſſam per q, ac un duas ſequentes. Penultimam ſuperlatiui ſyllabam per u ſcribebant. Plautus: Semper cogites id optumum eſſe, tute ut ſis optumus: ſi id nequiueris, ſaltē ut optumis ſis proximus. Antiqui dicebant pultare, fœdum, fariolum, fordeum: ubi nos pulſare, hœdum, bariolum, hordeum. Terent. Horreſco ſemp, ubi pultare haſce occipio fores. Idē. Sed quis oſtiū hoc pultauit? Ciceronis temporibus, paulūq; infra ferè quoties s litera media uocalium longarū, uel ſubiecta longis eſſet, geminabatur: ut cauſſæ, caſſus diuiſſiones. Porrectas ſyllabas geminis uocalibus ſignabant. Quid, quæ ſcribuntur. aliter, q̄ enunciantur? Nam & Caius c litera notatur. Nec Cneus eam literam in prænominis nota accipit, quæ ſonat Et columna exempta n litera. Sic conſules geminata s coſſ. ſcriptum legimus. Et amurca per g profertur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De Analogia, & Etymologia.

QVemadmodum ait Quintilianus, ſermo conſtat ratione, uetuſtate, autoritate, conſuetudine. Rationem præſtat præcipue Analogia, nonnunquam & Etymologia. Vetera maieſtas quædam & (ut ſic dixerim) religio commendat. Autoritas ab Oratoribus, uel Hiſtoricis peti ſolet. Nam Poëtas metri neceſſitas excuſat, niſi ſiquando nihil impediente in utroque modulatione pedum alterū ipſi eligunt. Qualia ſunt: Imo de ſtirpe reciſum, & ſilice in nuda, & ſimilia. Quū ſummorum in eloquētia uirorum iudicium, pro ratione: & uel error honeſtus eſt, magnos duces ſequentibus. Conſuetudo uero certiſſima loquendi magiſtra, utendumque plano ſermone, ut numo, cui publica forma eſt. Analogia proportio ſiue ſimilitudo dicitur. Eius hæc uis eſt, ut id quod dubium eſt, ad aliquid ſimile, de quo non queritur, referat, quò incerta certis probet. Etymologia nominis origo eſt. Quid utrumque ſit et qua ratione differant exempla demonſtrabunt. Analogia in nominibus genera ac declinationes deprehendit: in uerbis, tēpora, modos aliaque. Iuxta analogiam domata inflexionis eſt tertiæ atque generis neutri, & feruere uerbū productam mediā nō correptam habere debet: quoniā ſic eſt in uocibus ſimilibus climata, docere. Iuxta etymologiā, id eſt, originem uocabuli in nomine Ariſtoteles penulti-

ma ſine aſpiratione ſcribenda eſt, quoniam ſic ſit in dictione τὶλ@, unde ipſum ducit originem.

VARIAE NOMINVM DEſcriptiones ſine lege poſitæ quibus in prælegendis autoribus profeſſores uti poſſunt.

Concio ſignificationes treis habet. Accipitur enim quandoq; pro ſuggeſtu, ſiue loco, ex quo uerba fiunt ad populũ. Cicero: Aſcendi in concionem. Interdum pro ratione ipſa. Sall. Concione habita. Nonnunquã pro populo conuocato. Sall. Concione aduocata, huiuſmodi orationem habuit. Gentiles dicuntur qui ex eadem familia ſunt, & eiuſdẽ nominis. Cice. Si paterfamilias moritur familia, pecuniaq; eius agnatorũ, gentiliumq; eſto Gentiles etiam uocantur idolorũ cultores, qui aliter, q̃ Chriſtiani de Deo ſentiunt: ita nuncupati, quia in gentiliũ, hoc eſt, maiorũ ſuorũ fide perſtiterunt. Gentilitia nomima ſunt quæ originẽ gentis uel familiæ declarant: ut Portius, Tullius. Gentilitium ſacerdotiũ inde dicitur, quod ad ius familiæ pertinet. Ingenium, eſt natura cuiq; ingenita. Salluſt. Caſtriſq; collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebatur. A gignendo deductum eſt. Literæ à lituris dicuntur. Litura eſt macula, uel nota, qua delemus ea, quæ ſcripſimus. Ouid. Quaſcunq; aſpicies lacbrymę fecere lituras. Hoſpites amici ſunt

ſunt in diuerſis locis habitantes, qui ſe mutuo recipiunt, quũ alter in alterius patria peregrinus eſt. Sub diuo, uel ſub dio, idẽ eſt quod ſub cœlo, uel aëre. Pli. In Iunonis ara ſub diuo ſita cinerẽ aiunt immobilem eſſe perflantibus undiq; procellis. Id genus pro talis uel huiuſmodi accipitur. Gel. A genethliacis iſtis, & quibuſdã aliis id genus, qui futura oĩa dicturos pollicentur. Idẽ. Quàm facete ſophiſma id genus remuneratus ſit. Terent. Id genus hoĩm eſt peſſimũ. Lactan. Vt nulli adhuc extiterint, qui id genus uitæ ſequerẽtur. Dicimus & omne genus Gell. Ariſtotelis libri ſunt, qui problemata Phyſica inſcribuntur lepidiſſimi, & elegantiarũ omne genus referti. Malus, eſt arbor erecta in nauigio. Malus dicitur à malis, uel nodis circundantibus, quorũ uolubilitate facilius attollitur, & demittitur uelum. Nauis partes prora, puppis, malus, antenna, carina. Antenna, eſt lignũ pertranſuerſum in malo poſitũ, cui uelum alligatur. Carina, eſt infima trabs, ubi nauis fundatur. Ouid. Dũ mea puppis erat ualida fundata carina. Piſones dicũtur à piſis leguminibus, quæ optime ſerebant, ut Fabii a fabis Lentuli a lente, Cicerones a cicere, Chilones, uel Labeones noĩantur, qui ſunt maioribus labris. Luſcus, qui altero captus eſt oculo, qualis fuit Annibal. Vnde Iuuenal. Quũ Getula ducẽ portaret belua luſcum. Androgyni, uel Hermophroditi dicuntur

tur utriusq; ſexus hões. Capitale eſt facinus pœna capitis dignũ. Sylua quandoq; accipitur pro rebus temere congeſtis: ut quum Probum aiunt reliquiſſe non mediocrem ſyluam obſeruationum ſermonis antiqui. Punctus magnitudinis principium uocatur, quod in nullas diuidi parteis poteſt. Capitur pro fauore uel ſuffragiis, quoniam ſuffragia nõ ſcribebant, ſed puncto duntaxat notabant. Horat. Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci. Conſultor duplicẽ habet uim. Significat enim quãdoq; eum, qui conſiliũ petit. Cicero. Vigilas de nocte, ut conſultoribus tuis reſpõdeas. Horat. Sub galli cantum conſultor ubi oſtia pulſat. Interdum ipſum, q aliis conſulit. Sall. Simul ab eo petiit, ut fautor conſultorq; ſibi adeſſet. Limen eſt, quod ex tranſuerſo ponitur in ianua. Non inferiorẽ ſolũ partem ſignificat, quæ pedibus calcari ſolet, ſed etiam ſuperiorem. Neuius. Exime limen ſuperũ, quod mihi miſero ſæpe confregit caput, inferũ quoq;, ubi ego oẽs defregi digitos. Munus tria ſignificat: donũ, onus, officium. Donũ, ut munera multa donauit. Onus, unde ſumpta ſunt immunis, & immunitas. Officiũ ut munera reipub. Munia ſunt obſequia lege debita. Colu. Sic & magiſtri ſingulorum officiorũ ſedulo munia ſua exequuntur. Municipia uocabãtur quæ aliunde ueniebant in ciuitatẽ Romanã, & ibi ſuo iure uiuentes, muneribus & honoribus fungebantur

bantur populi Romani. A quo munere capeſcendo dicta ſunt municipia, & eorũ incolæ municipes. Embryo ἔμβρυον, id eſt, quod in utero matris uiuit antequam liniamenta ſuæ ſpeciei accipiat quaſi intus germinans. βρύω ὑω emano, uel gẽrmino dicitur. Gloria, eſt frequẽs de aliquo fama cũ laude. Honor præmiũ uirtutis eſt, inquit Ariſto. Lumen eſt defluxus quidam ſplendoris a corpore lucis, in aẽre circũfuſus. Pulchritudo corporis, eſt apta figura membrorũ cũ coloris quadã ſuauitate. Rodol. Agri. Ciuitas eſt multitudo collecta, ad ſtatum rerum ſuarũ tuendũ per ſe ſufficiens, quæ conſenſu ſit legum, uitæq; coniuncta. Penula uocatur ueſtis ui'is & denſa, qua cæteras ab imbre cuſtodimus. Epicœna genera ſiue promiſcua ſunt, in quibus ſexus uterq; per alterũ apparet. Radius proprie fulgor ſiue ſplendor eſt. Accipitur pro uirga qua Geometræ lineas indicant. Verg. Deſcripſit radio totũ qui gentibus orbẽ. Quandoq; idẽ eſt quod aſpectus: unde dicimus Iouis radios ſalutares eſſe Saturni radios pernicioſos. Turba, eſt multitudo, & etiam turbatio. Cice. Quanta in turba uiueremus. Perpetuũ dicitur, quod ſolidũ eſt nõ conciſum in fruſta, ſed continuatũ, non interruptũ, aut temporis ſpatio intermiſſum. Cæſar: Perpetuæ foſſæ quinos altæ pedes ducebãtur. Veriſimile eſt ſimile uero. Teren. Mihi quidẽ hercle non ſit ueriſimile.

Idem. Non uériſimile dicis. Matrimonium dicitur legitima perpetuáq; uiri, ac mulieris ſtudio gignendæ ſobolis coniunctio, uitæ ac fortunarũ oim̃ indiuiduam ſocietatẽ adducens. Lacbrymæ arma mulierum ſunt. Fortuna, eſt accidentium rerũ ſubitus atq; inopinatus euentus. Fortuitus a, um, pe. indifferente dicitur, quod caſu accidit. Aug. de ciui. dei Fortuita dicunt eſſe, quæ nullas cauſas habent, uel nõ ex aliquo ordine ueniunt. Apud autores eruditos idẽ ſignant uoces tres: rerũ natura, orbis mundus. Sic dicimus in tota rerũ natura nihil eſſe pulchrius Sole. Plin. Quæ obſeruatio (de impari numero loquitur) etiam in aliis multis rerũ naturæ partibus ualet. Ordo eſt ſua cuiq; loca tribuens diſpoſitio. Oriũdus, qui originẽ ducit. Liuius. Nati Carthagine, ſed oriundi à Syracuſis. Iumẽta & armenta dicuntur a iuuando & arãdo, quibus utimur in agricultura. Fatum eſt inhærens rebus mobilibus diſpoſitio, per quã prouidẽtia ſuis quæq; nectit ordinibus. Vel breuius: fatum eſt certus rerum ordo. Præceps pro profundo capitur. Pli. Spiritus dũ in præceps fertur. Idem. Vaſto in præceps hiatu. Oſtenta nuncupantur, quia oſtendunt: Portenta quia portendunt: Monſtra, quia monſtrant: Prodigia, quia prædicunt.

De aſſis

De aſſis partibus, ſeſtertiis, talentis, ac nu merorum nominibus.

AS integrũ eſt, uel res tota. Diuiditur in duodecim uncias, quæ partes minores uocari poſſunt. Eius uero portiones maiores ſequuntur Triens quatuor uncias, uel tertiam integri partẽ complectitur. Quadrans tres. Quicunx quinq;. Sextans duas, id eſt, ſextam partem. Semis ſex. Septunx ſeptẽ. Bes uel beſſis octo. Dodrans nouẽ Dextans decem. Deunx undecim. Pari modo uncia in uicenos quaternos ſcrupulos, ſeu grãmata à numero uiginti quatuor literarũ diſtribuunt. Partes unciæ maiores ſunt hæ. Semuncia duodecim ſcrupulos continet. Sextula quatuor, hoc eſt, ſextã unciæ partẽ. Duella octo. Drachma tres. Siciliquum ſex. Scrupulum in duos diuidunt obolos. Hoc loco pauca de ſeſtertiis ac talentis ſubiicienda. Decem ſeſtertia, & decẽ milia ſeſtertiũ nummorũ pro eodem ponũtur. Itẽ hæc quinq;: mille ſeſtertii, mille nũmi, mille ſeſtertiũ, mille nummũ, & mille ſeſtertium nummũ, numerũ eundẽ efficiunt, nempe uiginti quinq; coronatos. Centum ſeſtertia, ſunt centum milia ſeſtertiũ. Centies ſeſtertiũ, centies centena ſeſtertia, uel centies centena milia ſeſtertiũ. Decies uero ſeſtertiũ, decies centena milia ſeſtertiũ, quẽ numerum uulgus milionem uocat. Romanorũ ſupputatio hæc eſt. Græcorũ autẽ talenti uocabu-

lum

lum uſurpabat. Id multiplex erat, ſed frequentiſſimum Atticū *in hiſtoriis, quod coronatos ſexcentos continebat. Unde colligitur, mille talenta, ſexcēta millia coronatorū uel aureorū efficere: & decem milia talentū, ſexagies centena milia. His de rebus accuratiſſime* Budæus *ſcripſit. Vocū quæ numeros ſignant, octo ſunt genera: Nomina numeralia cardinalia, Vnus, duo, tria, octingenta, ducenti, trecenti, nongenti. Numeralia diſtributiua, Singuli, bini, terni, ſeni, octoni, noueni, undeni, deniterni, uiceni triceni, quadrageni, quinquageni, octogeni, nonageni, duceni pro ducenteni, treceni, quadringeni, quingeni, ſexceni, ſeptingeni, octingēteni, nongeni* Ordinalia, *Primus, uiceſimus uel uigeſimus, octogeſimus, ducenteſimus, treceteſimus, quadringenteſimus, ſexcenteſimus, nongenteſimus. Numeralia in arius, Ternarius, quaternarius, quinarius, ſenarius, ſeptenarius, octonarius, nouenarius, denarius, undenarius, duodenarius, ternariuſdenarius, uicenarius, tricenarius, quadragenarius, quinquagenarius, ſexagenarius, ſeptuagenarius, octogenarius, nonagenarius, centenarius, ducentenarius uel ducenarius, trecentenarius, quadringentenarius, quingentenarius, ſexcentenarius, ſeptingentenarius, octingentenarius, nongentenarius, millenarius Numeralia in anus, Primanus, ſecundanus, tertianus, quartanus, quintanus, ſextanus, ſeptemanus,*

octa

octauus, nonanus, decumanus. Numeralia multiplicatiua in us, Simplus, duplus, triplus, quadruplus, quintuplus, ſextuplus, ſeptuplus, octuplus, nōcuplus, decuplus, centuplus, millecuplus. Numeralia multiplicatiua in ex, Sīplex, duplex, triplex, quadruplex, quintuplex, ſextuplex, ſeptuplex, octuplex noncuplex, decuplex, centuplex, millecuplex, multiplex. Aduerbia numeralia: Semel, nonies, undecies, duodecies, tredecies, quatuordecies, quindecies, deciesſexies, uicies, trigecies uel tricies, quadragies, quinquagies, ſexagies, ſeptuagies, octogies, nonagies, ducēties, trecēties, quadringenties, quingenties, ſexcēties, ſeptingenties, octingēties, nongēties, millies, toties, quoties. Nūc numerorū cōbinatiōes aliquot ponā. Plinius. 2. lib. cap. 108. Octogies quinquies centena ſeptuaginta octo millia paſſuū. Idē. Nonagies octies centena & decem & octo milia paſſuum. Itē: quinquagies bis quindecim milia paſſuum. Iterum: tricies quater quinquaginta milia paſſuum. Et: quatuordecies centena & quinquaginta milia paſſuum. Item: Octogies quinquies ſeptuaginta octo milia paſſuum.

Alter pro duo, ſecundus, primus. Et iterum pro bis uel ſecundo.

PRo *unus & duo, unus et alter, uel unus aut alter latine dicimus.* Terē. *Venit unus et itē alter.* Cicero. *Quid eſt tantum in uno, aut altero die?*

die? Idem pro Aulo Cluentio: Vnus & alter dies interceſſerat, quũ res parũ certa uidebatur. Et: Habetur una & altera concio uehemens & grauis. Idē in Verrē: Vnum & alterũ menſem. Hora. in ſermonibus: Ducendus comes unus & alter. Idē in epiſt. Si uerſus paulo concinnior unus & alter Liuius. Vno aut altero abrepto. Idē: Vni aut alteri militi. Idē de bello punico: Vno, aut ad ſummum altero præcio. Simili modo pro ſecundum, alterum ſcribimus. Cicero pro Aulo Cluentio: Vnũ, alterũ tertiũ annũ quieſcebat. Idē de natura deorũ: Vnus is modus eſt, de quo ſatis dixi, qui eſt ſuſceptus ex præſenſione rerum futurarũ: alter ex perturbationibus tempeſtatũ: tertius, ex cōmoditate rerũ. Sic quoq; dicimus: alter & uigeſimus, alter & trigeſimus, pro uigeſimusprimus, trigeſimusprimus. Cicero pro Cornificio: Literas accepi tuas, quas mihi Cornificius altero & uigeſimo die (ut dicebat) reddidit. Idē pro Milone: Cēteſima lux eſt hæc ab interitu P. Clodii, & opinor altera. T. Liuius ab urbe cōdita: Anno trigeſimo altero, q̃ condita Roma erat. Idē mutato aliquantulũ dicendi genere eodē loco dixit: Vna & uiginti legionibus eo anno defenſum imperiũ Romanũ eſt. Idē: Vnũ & triginta oppida ceperunt. Eadē ratio in aduerbiis ſemel iterũ, tertiũ uel tertio, ꝓ ſemel, ſecũdo, tertio. Cic. de diuinatione: Quod ſemel ille iterumq; neglexit

Liuius

Liuius: Iterũ ac tertio ueniſſe tradunt. Quandoq; nõ unũ & alterũ: uel primum & alterũ, ſed alterum & alterũ dicimus. Cice. in Tuſcul. queſt. Duæ ſunt ex opinione boni, quarũ altera uoluptas, altera cupiditas. Hic ſubiiciam alia quædam quæ ad Grammatices elementa & ſyntaxin uocũ pertinẽt Genitiuus omnis capitur uel actiue ut prouidentia dei: uel poſſeſſiue ut regnum dei: uel paſſiue ut timor dei: oratio dubia eſt amor dei. Quarta declinatio etiam is & u in genitiuo caſu ac datiuo habere ſolet. Teren. Eius anuis cauſſa. Idẽ: Veſtitu nimio indulges. Exoſus & peroſus actiue ſignificant ſicut aoriſtus primus ποιήσας. Ouid. Tedas exoſa iugales. Verg. Lucemq; peroſi. Quiſq; non poſitiuis, ſed ſuperlatiuis iungitur. Nõ enim dicimus bona quæq;, præcipua quæq;: ſed optima quæq;. Niſi fortaſſe in carmine aliter reperiatur.

VOCVM MVLTARVM differentiæ.

IOcus dicitur omne illud, quo riſus moderatus conciliari poteſt. COmitas eſt in ioco, & dicendo, & audiendo, quæ oportet, laudabilis mediocritas. SComma eſt contumelia leuior, quæ urbanitate tegitur, ut aliud ſonet, aliud intelligas. CONuitiũ porro eſt contumelia aperta, grauior, & petulantior. IVdicium eſt res quæ cauſſam, litemq; determinat. PRæiudicium dicitur res

quæ quũ ſtatuta fuerit, adfert iudicaturis exẽplũ, quod ſequãtur. DImidiatũ eſt, quaſi in partes duas pares diuiſum. DImidiũ uocatur, quæ ex dimidiato pars altera eſt. Dimidium de diſcretis: Dimidiatum de continuis noiant. Dimidiatã horã uel dimidiã partẽ horæ dicimus. Dimidiatũ diem, digitum dimidiatũ, uel digiti dimidiũ. Legi dimidiatum librũ, dimidiatã fabulam. Gellius. Si è ſextario fuſa ſit hemina, non dimidiatũ ſextarium fuſum dicemus. Si ſcyphus argenteus mihi cũ alio cõmunis in duas partes diſſectus ſit, dimidiatũ ſcyphum eſſe dicemus. Argenti, quod in eo ſcypho ineſt, dimidium meũ eſt. Exempla autorum, uocũ uim demonſtrabunt. Teren. Dedit in ſumptum dimidium minæ. Plin. Latitudo terræ dimidio ferè minor eſt quàm longitudo. Idẽ. Arcus nõ apparent, niſi dimidia circuli forma. MEdium eſt, quod æquo interuallo abeſt ab extremis. MImus dicitur, qui mores hoĩm imitatur præſertim obſcenos. Ouidius Scribere ſi fas eſt, imitãtes turpia mimos. HIſtrio qui perſonatus in ſcena comœdias agit, aut tragedias. ACtor pro oratore ponitur, & hiſtrione. Orator dicitur actor ab actione cauſarũ. Quintil. Quare diligenter æſtimet uires ſuas actor oportet HIſtrio nuncupatur actor ab actione comœdiarũ Cice. Geſtus penè ſummorũ actorũ eſt requirẽdus COmœdus, qui comœdiam repræſentat, & q præ-

eſt

eſt actoribus. Quintil. Debet etiam docere comœdus quomodo narrandū, qua ſit autoritate ſuadendum, qua cõcitatione conſurgat ira, quis flexus deceat miſeratione. COmicus, qui ſcribit comœdiã, ut Terentius. LIttus per duplex tt, extrema terræ pars eſt, quam alluit mare. Littus proprie de mari dicitur, ripa de fluminibus. RIpa dicitur extrema terræ pars circa flumina. Fœtus uocabulum generale eſt, refertur ad omnia animantia, etiam ad fructus arborum. Verg. Arborei fœtus alibi. Oua etiam fœtus dicuntur. PARtus interdum pro fœtu accipitur. Plin. 2. nat. hiſt. Martia princeps Romanarum icta grauida, partu exanimato, ipſa citra ullum aliud incommodum uixit. Interdum pro actu pariendi. Teren. Nec ſatis digna cui cõmittas primo partu mulierē. PROles idē eſt, quod progenies. Colu. lib. 8. de caprino pecore: Parit antē ſi eſt generoſa proles, frequenter duas, nonnunq̃ trigeminas. SOboles ſucceſſio dicitur. Plin. Quorum armenta paſcit, maribus interemptis, præterquã ſobolis cauſſa. HIſtoriæ, non modo res geſtas ordine explicant, ſed conſilia quoq;, quibus geſtæ ſunt ponunt, conciones continent, acies inſtruunt, ac ſitus locorum deſcribunt, ut apud Salluſtiū. ANnales ſunt, quando ſingulorum annorū geſta breuiter ſolum notantur: ut annales Piſonis. DIarium, quum ſingulorū dierum

res geſtæ ſcribuntur, Græci ephemerida uocăt. SOcii *uocantur, qui pari conſilio, & autoritate rẽ aliquam aggrediuntur.* COmites, *qui conſulendo operamue præſtando ſubſequuntur.* Cæſar. *Quum ſe uictoriæ Pompeii comitem eſſe mallet, ꝗ ſocium Cæſaris.* SOdales *in rebus leuioribus dicuntur, ut in conuiuiis, quaſi ſimul edales.* FVrtum *generale nomẽ eſt.* PEculatus, *pecuniæ publicæ, aut principis furtum.* SAcrilegium, *ſacrorum furtũ.* Differunt Poẽtæ, Philoſophi, Sophiſtæ. POetæ, *res tractant commentitias.* PHIloſophi, *certiori iudicio ueritatẽ & rerũ cunctarum naturam ſcrutantur.* SOphiſtæ *olim dicebantur philoſophi, poſtea rhetores, poſtremo abiit nomen in inuidiă, ut ii dicerentur ſophiſtæ, qui fictam quandam ſapientiæ ſpeciem iactitarent.* HOmonyma, *una uoce multa ſignificant, ut canis. A* Dialecticis *æquoca dicuntur.* SYnonyma, *multis uocibus idem, ut enſis & gladius.* NOtus *idem eſt, quod cognitus.* NOtos, *uentus.* NOthus, *qui ex uxore non legitima natus eſt, uel adulterinus.* EXules, *dicuntur qui iure pulſi ab urbe ſunt.* PRoſcripti *uero, exules, quorum bona uendebantur, & quos ubiq; licebat impune occidere.* NEceſſitas, *eſt uis aliqua, quam amplecti debemus, ſi ſalui & incolumes eſſe uolumus.* NEceſſitudo, *eſt uinculũ aliquod per amicitiam, aut familiaritatem partum*

Neceſſitudo interim pro neceſſitate ponitur. Sall. *Quos magis dominationis ſpes hortabatur, quàm inopia, aut alia neceſſitudo.* CEruix, *poſterior pars colli eſt.* IVgulus, *anterior, unde procedit halitus.* Petere *iugulum, uel ferire iugulũ, interficere, uel quod eſt potentiſſimum inuadere.* Iugulare *occidere.* Horat. *Vt iugulent homines, ſurgunt de nocte* Latrones. GVla, *colli pars eſt, qua cibus & potus deuoratur.* Strangulare, *ſtringẽdo gulam necare.* Plin. *Fabius ſenator in lactis hauſtu uno pilo ſtrangulatus.* SInus *eſt intra pectoris, & brachiorum complexum, Vt quum lactãtur infantes, ad ſinum admouentur.* GRemiũ *uero, inter complexum femorum, Vt pueri à ſedentibus matribus ad gremium accipi ſolent.* Verg. Hæret, *& interdum gremio fouet inſcia* Dido. COnſilium *per s ſcriptum, eſt faciendi excogitata ratio* COncilium *uero per c, dicitur conuentus tractantium cauſas ad chriſtianã religionẽ pertinẽtes* COmmeatus, *eſt facultas quæ datur militi abeũdi, quo uelit, ad præſcriptum tempus reuerſuro.* Accipitur *etiam pro uictu omni publico, præſertim in exercitu.* Cice. *Iam commeatu, & priuato, & publico prohibemur.* PEnus, *ſignificat uictum omnẽ priuatum domi repoſitum.* Vnde *penarium, locus ubi cibus reponitur.* Dicimus *penus penus ui, penum i, penu penu, uel penus oris.* CVniculi

culi uocantur meatus latentes in terra. SCrobes, *foueæ intra terram manu factæ, ad uineas, ſeu arbores conſerendas, uel ad metalla fodienda.* Colu. *Ante annum, q̃ poma diſponere uelis, ſcrobes fodito.* Dicimus *arbor illa plantatur ſcrobe pedali.* FOueæ, *ſcrobes à fodiendo dictæ.* SCyphus *poculum eſt, ex quo bibitur.* CYathus, *idem.* PAtera, *poculum late patens.* Sall. Humani *corporis ſanguinem uino permiſtum in pateris circumtuliſſe.* PAtina, *lanx late patens.* PLura *comparatiuus eſt, & dici poteſt de duobus.* COmplura, *dici de duobus nō poteſt, neq; comparatiuus eſt.* Vt *ſi tantum duo dixerint innumerabiles eſſe mundos, non apte dicemus, cōplures dixiſſe innumerabiles eſſe mundos.* LAus, *uocabulum generale eſt* HYmnus, *laus deorum.* ENcomium, *laus hominū, & aliarū rerū, ut encomiū ſtultitiæ.* TRophæa, *ſunt hoſtium ſpolia arborum truncis, aut ſaxis adfixa.* TRiumphus, *honor dicitur, qui uictoribus ducibus publice dabatur.* Luca. Quumq; *ſupba foret* Babylon *ſpolianda trophæis* Auſoniis, *umbraque erraret* Craſſus *inulta,* Bella *geri placuit nullos habitura triumphos.* FAcultas, *poteſtas eſt.* Plin. Si *mihi facultas daretur, utrum mallē eligendi.* INdulgentia, *mollis permiſſio, opponitur ſeueritati.* Quint. Mollis *illa educatio, quam indulgentiam uocamus, neruos omnes, & mentis, & corporis*

poris frangit. L*Icẽtia,impunita quædam facultas agendi quicquid uelis. Luca. Quis furor ô ciues, quæ tanta licentia ferri, Gentibus inuiſis Latium præbere cruorem.* V*Enia,condonatio,& remiſſio culpæ. Quint. Peccaui,ueniam peto.* O*Fficina dicitur ubi opera fiunt.* T*Aberna,ubi uendũtur* OPVS, *eſt id quod efficitur ab artifice, ut domus eſt opus fabri.* O*Peratio,ipſa operãdi actio.* O*Pera uero,labor & induſtria operantis.* I*Nſomnia,ſunt uiſa in ſomno, quibus per diẽ homo uigil occupatur.* I*Nſomnia æ,eſt uigilia,uel carẽtia ſomni. Salluſt. Neq; inſomniis neq; labore fatigari.* C*Ollega in officio.* C*Onſors in præmio.* Æ*Rarium,quo publica pecunia referebatur.* F*Iſcus,quo principis.* Domini *olim dicebantur tyranni, Vnde dominatio tyrannis. Sall. Hunc poſt dominationẽ Syllæ libido maxima inuaſerat reipublicæ capiundæ.* H*Eroes, qui geniti erant altero ſolum parente mortali. Nos heroas appellamus uiros nobiles,& generoſos.* H*Eroidas mulieres nobiles,et generoſas. Papi.lib.3. Qua ueteres latias,graiasq; heroidas æquas. Herus,dicitur dominus.ſed in minoribus. Teren. Herus me relictis rebus oĩbus.* TEλώνης,*uel publicanus eſt, q uectigalia exigenda certo redimit præcio. Cic. Flos equitum romanorum,ornamentum ciuitatis, firmamentum reipublicæ,publicanorum ordine continetur.* F*œnerator*

rator, qui quicquam dat ad fœnus. Fœneror *uel fœnero, do ad fœnus.* Cice. *Vt enim benefici, liberaleſq; ſimus, non ut exigamus gratiam, neq; enim beneficium fœneramur.* Fœnus, *quod ſorti accreſcit* Sors *eſt, quod datur à fœneratore.* Vſura *idē quod fœnus.* VEctigal, *quod ex uectura penditur. Capitur pro fructu priuato.* Cice. *Ex meo tenui uectigali capio ego ducenta.* VEctigalis *le, quod uectigal, uel tributum principi, aut ciuitati pendit:* Cic. *Et ſyluas, lucosq; publicos* Romani *uectigales habuere.* STipendiarii, *qui ſtipē pendunt. ſiue ſoluūt, Siquidem ueteres nō numerare pecuniam, ſed ponderare ſolent.* TRibutum *eſt, quod principi, aut ciuitati penditur.* Tributarius, *qui tributum ſoluit.* Iuſtinus. *Sed ciuitates* Medorum, *quæ tributariæ fuerant.* REditus, *prouentus annuus.* Ouid. *At reditus id quiſq; ſuos amat, & ſibi quid ſit* Vtile *ſollicitis ſupputat articulis.* TRiclinium *à tribus menſis, uel thoris nuncupatum, eſt conclaue diſcubitorium.* Quintilianus *triclinium uocat, quod* Cicero *conclaue, ubi loquuntur de conuiuio in quo* Simonides *inuenit artem memoriæ.* Quintil. *Vix eo egreſſo triclinium illud ſupra conuiuas corruit* Cice. *Hoc interim ſpatio conclaue illud dicitur cōcidiſſe.* COnclaue *generalius eſt.* AVla, *atriū eſt Capitur pro regia.* Seneca. *Quum quidam illū interrogaret, quo modo rariſſimam rem in aula conſequu*

ſequutus eſſet ſenectutem? iniurias, inquit, accipiendo, & gratias ſæpe agendo. REgia, *domus principis eſt.* Liuius. *Eo tempore in regia prodigiū uiſu euentuq; mirabile fuit.* ATrium, *dicitur prima domus pars, ubi deambulare ſolent.* FRutex, *q ad iuſtam magnitudinem arboris nondum aſſurgit* Differt *ab herba, quia non moritur quotannis ſicut herba.* FActio, *eſt conſenſus malorum inter ſe.* AMicitia, *bonorum.* ACini, *ſunt fructus minutiores arborum, uel fruticum, qui denſius naſcuntur, ut grana uuæ.* BAccæ, *fructus minutiores arborum, uel fruticū, qui rarius naſcuntur: ut fructus oliuæ.* POma *dicuntur, quæ molli ſunt cortice ut ceraſa, pruna.* MAlum, *ſpecies pomi græce μῆλον, ut maliū punicū.* NVces *appellantur, quæ duro ſunt cortice: ut amygdala, iuglandes.* INſtituta *ſunt mores boni longa conſuetudine inducti.* Quintilianus *tamē optimis inſtitutis formari mentem infantiū iudicat.* INſtitutiones *porrò dicūtur libri, uel præcepta, quibus elemēta traduntur aliquarum artiū: ut inſtitutiones oratoriæ* Fabii, & *inſtitutiones legum, quas nō recte inſtituta noīant* COnſuetudo *ius eſt, quod ſine lege propter uetuſtatem æque acſi legitimum ſit uſitatum eſt.* MOS *uero inſtitutum uitæ, aut uiuendi ratio.* Differt *à conſuetudine, quod mores mutare liceat, conſuetudinem non liceat.* Sæpenumero *tamen ſine diſcri-*

mine nomen unum pro altero ponunt. LEX *ius eſt qđ aut populi, aut imperatoris iuſſu ſancitũ eſt. Quintilianus aliquid intereſſe inter uim & uiolentiam cenſet: ubi dicit lib.2. At illi hanc uim appellant, quæ eſt potius uiolentia.*

DE PRONOMINE.

S*Vus, uel ſui refertur ad ſuppoſitum tertiæ perſonæ: ut quiſq; fauet ſuis.* Teren. *Scio hanc meritam eſſe ut memor eſſes ſui.* Vel *ad obliquum qui uim habet ſuppoſiti tertiæ perſonæ.* Horat. *Aut famam ſequere, aut ſibi conueniētia finge, id eſt, quæ ſibi conueniunt.* Si *autem duo ſint ſuppoſita tertiæ perſonæ, refertur ad prius, uel principalius.* Cicero *rogat, ut frater tuus ueniat ad ſe.* Noſtrũ *& ueſtrum referuntur ad mis. tis.* Vt *nemo noſtrũ* Noſtri, *ueſtri ad mei tui.* Vt *habete curã noſtri* Tute, *id eſt, tu ipſe.* Teren. *Quamobrem id tute nõ facis?* Egomet, *idem eſt, quod ego ipſe.* Idẽ. *Proximus ſum egomet mihi.*

Verborum deſcriptiones aliquot.

S*Vperſedere cum ablatiuo ſignificat intermittere.* Cice. *Superſedeas hoc labore itineris.* Idẽ *ad* Herenniũ. *Exemplorũ multitudine ſuperſedendum eſt.* Caligo, *eſt repentina luce offendor* Quint. *Deinde cum proferenda ſunt ſtudia, caligat in Sole, & omnia noua offendit.* Facere operæpreciũ *dicimus, pro commoditatis nonnihil adferre.*

ferre. Vt, me operæprecium factūrum exiſtimaui, ſi omnia hæc breuiter tradidero. Liuius in præfatione. Facturus ne operæprecium ſim, ſi res populi Romani *perſcripſero, nec ſatis ſcio, nec ſi ſciam dicere auſim.* Concedere *cum ablatiuo interpoſita præpoſitione de, ſignificat permittere.* Terē. *Si de tuo iure conceſſiſſes paululum, id eſt, tuū ius permiſiſſes.* Deſignare, *eſt rē nouam facere, in utramq; partē, & bonam, & malam.* Terē. Mo*do qd deſignauit? fores effregit.* Agere ani*mam, eſt mori.* Seneca. *Apparebit quum animam ages.* Queror *ſine diphthongo ſignificat lamentor: ut queruntur ſemper aliquid.* Cice. M*ulta de mea ſententia queſtus eſt Cæſari.* Idē *ſunt miſeret me tui, miſercor tui, & miſeror te.* Poſtre*mū caſui accuſatiuo iungitur: ut, nec eſt miſeratus amantem.* Claudianus. *Nam prima Chaos Clementia ſoluit Congeriē miſerata rudem.* Variis di*ctionibus iungitur uerbum facio.* Dicimus enim *facere finem.* Teren. *Iam finem faciam.* Facere fidem Cice. *Fidem faceret oratio mea.* Facere conuitium *eſt contumeliis aliquē laceſſere.* Quod inepte dicūt *dicere iniuriam.* Plau. *Sic & præſenti tibi facit conuitium.* Facere *naufragium.* Cice. *Multi naufragia fecerunt.* Facere *iter.* Facere *copiam.* Plau. *Feci enim ei, quod orauit, mei copiam.* Facere *lucrū* Plau. *Vnde tu prægrande lucrū facias.* Facere po

teſtatem.Varro de re ruſt.Secundũ cibũ large ut bibant,faciunt poteſtatem.Facere inſidias. Cice. Vt huic facetet inſidias. Ore rotundo loqui eſt paucis multa exprimere.Hora.Grais dedit ore rotundo muſa loqui. Conſultare eſt de dubiis & incertis,quo pacto peragenda ſint, per rationẽ inquirere. Deſciſcere militare uocabulum,deficere ab imperatore. Tueor uerbũ duplicem habet uim.Significat enim ut plurimum defendo. Vnde deducuntur participium tuitus,tutus nomen tuitio uerbale.Quandoq; uideo.A quo intueor,& contueor, pro inſpicio & conſpicio uſurpamus. Cice.de Sole.Ipſe enim hic radiatus me intueri ut detur. Idẽ. Quum totam terram contueri licebit. Tuor uero tertiæ inflexionis eſt ſignificans uideo Vnde intuor intutum,cõtuor contutũ, obtuor obtutum, pro inſpicio & conſpicio. Exiſtere, proprie oriri uel emergere ſignificat.Rariſſime ꝑ ſum accipitur.Ego exempla multa ponam, ex qbus uerbi natura colligi queat.Plin.Quin & repentinos ignes exiſtere. Idẽ.lib.7.In India corpora hominũ cubitorũ quinum,& binorũ palmorũ exiſtere.Idẽ.Maximus terræ extitit motus Tyberii principatu. Idẽ.Extra has cauſſas nõ negauerim exiſtere imbres uentoſq;.Idẽ.Hippopotamus in quadam medendi parte etiam magiſter exiſtit. Pli.Iunior.Poſtremo adhuc nemo extitit, cuius uirtutes

nullo uitiorum confinio læderentur. Laurẽ. Valla *in præfatione elegantiarũ. Etenim quiſnã multis iam ſeculis laudatior extitit?* Idẽ. *Expectationis nõ negligentia mea, ſed conſilium extitit cauſa.*

Differentiæ Verborum aliquot

GRatias agere, *eſt uerbo oſtendere nos memores eſſe beneficii accepti.* Gratiam habere, *eſt animum ac mentem gratã habere, & inuicẽ gratificandi uoluntatẽ.* Referre uero gratiam, *eſt facto beneficiũ acceptũ compenſare.* Simulamus *falſa.* Teren. *Quur ſimulas igitur.* Diſſimulamus *uera.* Idẽ. *Ibi tum exanimatus Pamphilus bene diſsimulatũ amorẽ, & celatum indicat.* Vel ſimulare, *eſt fingere aliquid eſſe, quod non eſt.* Diſſimulare, *fingere aliquid nõ eſſe, quod eſt.* Suadere *eſt hortari aliquẽ, ut faciat, quod ante facere noluerit.* Diſſuadere *eſt ſuadere ne faciat.* Perſuadere, *dicendo aliquẽ in ſuam ſententiã inducere.* Reliquum feci, *id eſt reliqui.* Miſſum feci, *dimiſi.* Peruenimus *ad altiora:* deuenimus *ad humiliora* Mutuo tibi, *uel* fœneror tibi, *i. mutuũ tibi do.* Mutuor *uero, uel* fœneror abs te, *hoc eſt, mutuũ recipio* Flagrare *eſt ardere:* fragrare, *bene olere: à frangendo, quod fracta uehementius oleant.* Triplex *uerbum* cedo. *Primum cum diphthongo, quod habet* cecidi cæſum. *Inde* præcido, incido, concido. *Secundũ ſine diphthongo, quod habet* ceſſi, ceſſum

Hos

Reliquum feci

mutuo / fœneror

flagrare et fragrare

cedo, triplex

Hoc triplicem habet ſignificationem. Eſt enim cedere ſæpenumero locum dare, ut cede repugnanti. Interdum diſcedere, uelut cedere bonis, id eſt, diſcedere à bonis. Quandoq; in ius uenire, ut cedunt mihi ea bona. Ouid. in principio Metamor. de diſiecto Chao. Ceſſerunt nitidis habitandæ piſcibus undæ. Tertium cedo imperatiuus eſt, in multitudinis numero habens cedite, ſignificansq; idem, quod dic & dicite. Teren. Cedo cuium puerum appoſuiſti. Differunt, Lino, Linio, & Lenio. Linio & lenio quartæ coniugationis ſunt. Lino & linio habent primā correptam: Lenio productam. Lino habet lini, liui, & leui. Linire, eſt leniter aliquid inducere, & quaſi lineā protrahere. Qui mentitur fallit. Qui mendaciū dicit fallitur. Accubare dicuntur cœnaturi. Recubare, deſides uel ocioſi. Verg. Recubans ſub tegmine fagi. Decubare ægroti. Lachrymo, eſt lachrymas emitto. Fleo lachrymis dolorem oſtendo. Gemo pectore, quū præ anguſtia in ſonum prorumpit. Refertur quoq; ad inanimata. Verg. Gemuit ſub pōdere cymba. Ploro eſt uoce triſti dolorē oſtendo. Imploro cū dolore auxiliū peto. Plango, eſt præ dolore pectus, caputue, aut membrū aliud percutio. Eiulo, uoce elata fleo. Vociferor, nō modo dolorē, ſed etiam indignationē uoce effrenata demonſtro. Lamētor, idem quod ploro, uoce triſti dolorem oſtendo.

Poſtu

Poſtulamus iure, poſcimus imperioſe: petimus quū precamur. Cieo es, & cio is, ambo ciui citū habent. Sed à cieo citum breue: à cio productum. Ouid. in Metamor. Vigilantibus excita curis. Idē in triſt. Accitus toties, in genus omne ioci. Cieo, eſt moueo: Cio, uoco. Iuro, eſt ſanc̃te aliquid promitto, ita ſeruatū iri, acſi ius eſſet. Iuratus participiū ſignificationē tam actiuam q̄ paſſiuam habet. Cice. Ex eo, quod ait ſe nō potuiſſe adeſſe, ita ut iuratus fuerat. Iniuratus, qui nō iurauit. Cice. in Verrē. Malo ei iurato ſuam, q̄ iniurato aliorum tabellas cōmittere. Deiero, eſt ualde ſancte, uel libere iuro. Gell. Nam quū amicus eū rogaret, ut pro re, cauſſaq; eius deieraret, his ad eū uerbis uſus eſt. Deiurium, eſt ſanctū iuſiurandū. Gell. Octo ad hoſtes redire uoluerunt, quod deiurio uincti forent. Peiero, eſt animo fallendi iuro, aut nō ſeruo, quod iureiurando promiſimus. Plin. Alii in ipſo Capitolio fallunt, ac fulminantē peierant Iouem. Periurus nuncupatur qui iuſiurandū uiolat. Verg. Talibus inſidiis, periuriq; arte Sinonis. Iuſiurandū eſt affirmatio religioſa, ut ait Cicero. Quintil. Iuſiurandum litigatores, aut offerunt ſuum, aut nō recipiunt oblatum, aut ab aduerſario exigunt, aut recuſant quū ab ipſis exigatur. Coniuro eſt in perniciem alterius conſpiro. Liuius. Trecenti coniurauimus principes iuuentutis Romæ. Conceptis uerbis

bis iuramus, quum alio iuſiurandum dictante, aliqd certa forma uerborũ promittimus. *Ædere eſt emittere, uel generare.* Horat. *Mecœnas attauis ædite regibus.* *Parere, fœtũ emittere ad fœminas ptinet.* *Excludere, dicitur incubando pullũ emittere.* Plin. *Quædã gallinæ omnia gemina oua pariũt, & geminos interdum excludunt.* *Suſtuli filium ex uxore dicimus, pro habui filium.* Quintil. *Cupidus ego liberorũ uxorẽ duxi, filium ſuſtuli, atq; educaui.* *Iſtud ſuſtuli à tollo deſcendit.* *Quandoq; tollere ſignificat educare.* Teren. *Quicquid peperiſſet, decreuerunt tollere.* *Tulit filium, id eſt, ſuſtulit.* Suetonius. *Vxorẽ Domitiani, ex qua filiũ tulerat, repudiauit.* *Primas ferre, primas deferre, primas tenere, ueteres dicebant: in quibus oĩbus ſubintelligimus partes.* Cice. *Etſi utriq; primas: priores tamen deferunt Lelio.* Idẽ in Oratore. *Quis unq̃ dubitauit, quin in rep. noſtra primas eloquẽtia tenuerit: ſecundas, iuris ſciẽtia.* *Primas deferre, hoc eſt, primas partes alicui concedere.* *Primas ferre, primas ſecum portare.* Horat. *Omne tulit punctũ, qui miſcuit utile dulci.* *Dicimus etiam poſteriores ferre.* Teren. *Si id ſit dando, atq; obſequendo, non poſteriores feram.* *Et priores partes habere.* Idẽ. *Sine illũ priores partis p hoſce aliquot dies apud me habere.* *Mereo, uel mereor ſine diphthongo in preterito habens merui, uel meritus ſum tria ſignificat*

nificat. Quandoq; dignus ſum. Ouid. Quam meruit pœnam ſolus, digeſſit in omnes. Interdum confero ut, bene de te mereor, male de te mereor. Nõnunq̃ *ſtipendii gratia milito. Lucanus. Ære merent par uo. Huius compoſita uerba quatuor ſunt, quorum diſcrimẽ explicabimus. Demereor eſt beneficio aliquem concilio, beneuolum reddo, uel ſibi aſtringo. Quintil. Simul ut pleniore obſequio amantiſſimos mei demererer. Emereor, perfecte mereor. Vnde emeriti milites dicũtur, qui præ ſenio amplius merere, uel militare non poßunt. Lactan. lib. 4. Etenim quum conſtet homo ex carne, ac ſpiritu, & oporteat ſpiritum emereri, ut fiat æternus. Commereo eſt committo Teren. Quid feci, aut commerui pater. Iterũ. Si ſenſerit te timidũ pater, arbitrabitur cõmeruiſſe culpam. Promereo eſt beneficium præſto. Teren. Quum is nihil promereat. Eſt & aliud mœreo diphthongũ habens, & in præterito mœſtus ſum, id ſignificat doleo uel dolore afficior. Cice. Quum grauiter filii mortẽ mœreret. Inde nomen mœror.*

VARIÆ ET ELEGANTES *formæ loquendi ex optimis autoribus collectæ.*

DAre fidem. Teren. Do fidem ita futurum Iudicare. Teren. Atq; ex aliarum ingeniis me iudicet. Idẽ. Niſi illos ex tuo ingenio iudicas

Memo

Memoriæ dare. Gell. *Cretenſes quoq; prælia in-gredi ſolitos memoriæ datũ eſt.* Perpetior. Gell. *Quum illam domi talem perpetior, inſueſco ut cæterorũ quoq; petulantiam facilius feram.* Diunt Teren. *Dii tibi exitiũ diunt.* Vlciſcor. Teren. *Satis mihi id habeam ſupplicii, dũ illos ulciſcar modo.* Idẽ. *Ego te pro iſtis factis ulciſcar, ut ne impune in nos illuſeris.* Æqui facio. Idẽ. *Æqui boniq; facio.* Incommodare. Idẽ. *Magis mihi ut incommodet, q̃ ut obſequatur gnato.* Concedo. Idem. *Concede hinc domum.* Recipio me domũ. Plau. *Iam ego me recipiam domũ.* Memini. Gell. *Ex quibus ſunt pauca iſta, quæ nũc meminimus* Ago Teren. *Quo hinc te agis?* Deſcribo pro diſtinguo Plinius maior. *Inferis quoq; in genera deſcriptis.* Pli. iunior. *Vinum in tria genera deſcripſerat.* Decet. Teren. *Imò herde ita nobis decet.* Tradere prouinciam. Idẽ. *Iccirco huic noſtro tradita eſt prouincia.* Conciui. Idẽ. *Quantas turbas conciui inſciens.* Exempla ædere pro animaduertere. Idẽ. *Vterq; in te exẽpla ædent.* Olere. Idẽ. *Olet unguenta de meo.* Præſto cũ caſu accuſatiuo. Quintil. lib. 1. *Præſtat tamen ingenio alius alium.* Præſto cũ datiuo. Teren. *Homini homo qd præſtat?* Gratulor. Idẽ. *Aduentũ gratulãtur* Impertio. Idẽ. *Plurima ſalute Parmenonẽ ſuũ impertit Gnato.* Præcipitẽ dare. Idẽ. *Quô nũc me*

præci-

præcipitem darem. In ſententiam ire. Lau. Vall. In huius ſententiam it & Neſtor, cuius uerba hæc ſunt. Durari ad plagas. Quintil. Is etiam ad plagas, ut peſſima quæq; mancipia durabitur. Affuturum eſſe. Teren. Credo illum iam affuturū eſſe In rem eſſe. Idē. Magis in rem, & noſtram, & uoſtram id eſſet. Deſpicor. Idem. Meretrices, quæ nos noſtramq; adoleſcentiam habent deſpicatam In uſu eſſe, Quintil. Latinus ſermo, qui pluribus in uſu eſt. Irritare pro allicere, uel ſolicitare. Idē: Irritandæ ad diſcendū infantiæ gratia. Expoſtulare iniuriam. Teren. Et cum eo iniuriam hanc expoſtulem Spectare. Idē. Qui tuum animū ex animo ſpectaui meo. Neceſſe habeo. Idem: Non neceße habeo omnia pro meo iure agere. Agere curſum, pro currere uel incedere. Plin. Errantia ſydera contrariū mundo agere curſum. Medicor: Teren. Gnato ut medicarer tuo. Intēdere animū Quintil. Pueris nō intendentibus animū ad literarum ductus. Depereo. Teren. Minime miror, ſi hanc deperit Clinia. Vertere. Gell. Iſta non facile auſi ſunt uertere in linguā latinam. Abeſſe Plin. Inſula quæ ducentis à mari abeſt ſtadiis. Inſcribere. Gell. In libro qui inſcriptus eſt Exdemetricus. Idem: Ariſtotelis libri ſunt, qui Problemata phyſica inſcribuntur lepidiſſimi, & elegantiarum omne genus referti. Geſtum oportuit.

Teren. *Adoleſcenti morē geſtum oportuit.* Con*cedere*. Teren. *Si de tuo iure conceſſiſſes paululū:* In *dubium uenire*. Idē: *Etiam de ſorte nunc uenio in dubium miſer*. Idē. *Gnatæ uita in dubium ueniet* Datum iri. Idē. *Quum rumor uenit datum iri gla diatores*. Idē. *Qui poſtquā audierat, nō datū iri filio uxorē ſuo.* Verbum facere. Idē. *Nunq̄ cuiquā noſtrum uerbum fecit.* Pudent. Idē. *Non te hæc pudent?* Quiui. Idē. *Nunq̄ quiui ego iſtuc intelligere.* Cælato opus. Idem. *Quoquo pacto cælato eſt opus.* Exigere noctes. Plin. in epiſt. *Magnā partē noctiū uigil exigo.* Diſcriminis formæ: Plin. *Delphinorum lingua haud differt ſuillæ.* Ro. Agric. *Quemadmodū Cato à Cicerone diſtat.* Idē *Ea inter ſe diſſident.* Idē. *Lapidi animal diſſidet:* Lau. Valla. *Quo diſtent ſui, & ſuus.* Idē: *Licet nō nihil differant.* Idē: *Vt uix ſcias, qd inter ipſa interſit.* Idem: *Nedū trifariam differt à non ſolum.* Teren. *Hoc pater, ac dominus intereſt.* *His adiicienda ſunt iſta: Verba, uim ſermonis: nōia, materiam complectuntur. Siquidē alterū quod loquimur alterū de quo loquimur eſt.* Modus potentialis *eſt, qui explicatur per poſſum, uolo aut debeo. Vt dixerit hic aliquis, Iuppiter non aget hos currus, neſcit quomodo doceat iuuentutē, id eſt, poterit hic dicere aliquis, Iuppiter hos agere currus nō poſſet ignorat qua ratione docere iuuentutem debeat.*

Quid.

Ouid. Qua uix mane recentes enituntur equi.

Participia uerborũ deponentiũ frequẽter paſſiue accipiuntur. Cice. Sed ea oia mihi ſunt pa"iẽda Idẽ. Verumtamen uigiliis nocturnis, & concione hoim inſtitutũ illud, conceptũ, atq; meditatũ eſt.

DE QVATVOR VOCVM GEneribus, quæ non flectuntur.

ADuerbia omnibus iunguntur caſibus. Nos ordine ſingulorũ ponemus exẽpla. Demonſtrandi aduerbia nominatiuũ regunt. Verg. Deus ecce deus. Iterũ: En Priamus. Iunguntur quandoq; accuſatiuo. Plau. Ecce me. Verg. En quatuor aras Apud comicos ecce ſæpenumero accuſatiuũ caſum habet: ut eccum, eccam, eccos, ellũ, ellos. Cæterum compoſitionẽ hanc Valla putat in nominatiuũ ſolui debere, hoc modo: Eccum Parmenonem, hoc eſt, hic Parmeno. En quandoq; exprobandi eſt aduerbium. Quintil. En probitas. Iuuenal. En habitum Hæc de noĩatiuo. Quadruplicia ſunt aduerbia, quæ genitiuũ exquirunt: temporis, loci, quantitatis ac gradus ſuplatiui. Temporis quidẽ: ut interea tẽporis. Loci: Teren. Quocunq; hinc aſportãtur terrarũ, Et nuſquã gentiũ. Quantitatis, ut parũ pecuniæ, ſatis ueſtium. Superlatiui gradus: ut omnium ornatiſſime orauit Cicero. At uero pridie, & poſtridie ratione nominis incluſi regunt genitiuũ: ut pridie illius diei, pridie Calendarum. Regũt etiam

accuſatiuum ratione præpoſitionum ante & poſt, quæ ſubaudiuntur:ut pridie Nonas,poſtridie Calendas. Obuiam *datiuum habet:ut obuiã tibi. Aduerbia retro,intus,foris,foras,ſubtus,loco præpoſitionũ poſita accuſatiuo iunguntur : ut atriũ quod erat foris templum.* Huc *referenda en,ecce,pridie poſtridie.* Vocandi *aduerbium uocatiuum habet* Verg. Heus *iuuenes monſtrate uiam.* Idẽ. O *ſocii neq; ignari ſumus ante malorũ.* Gradus *aduerbia comparatiui ablatiuũ regunt:ut cunctis eruditius erauit* Cicero,*eo melius ſcripſit nemo.* Propius *& proxime accuſatiuo iunguntur ſicut prope.* Cice. *Caſtra propius urbẽ mouentur.* Sall. Proxime Hiſpaniã Mauri *ſunt.* Quandoq; *datiuo.* Verg. Quũ *propius ſtabulis armenta tenerẽt.* De *bis accurate* Coclæus *perſcripſit.* Quoties *præpoſitio per ſe abſq; caſu ponitur, fit aduerbium.* Interiectio *uox eſt,quæ animi lætitiã, dolorẽ, admirationem, metum,aut ſimiles adfectus exprimit.* Aut: Interiectio *dictio eſt,uel ſonus,animi adfectum ſignificãs* Verbis *additur,quemadmodũ aduerbia.* Complectitur *enim propriũ adfectũ ſeu ſignificationẽ uerbi, etiã ſi uerbum nõ ponatur:ut papæ,ebeu,ubi includuntur admiror,doleo.* Nomina *quandoq; & uerba pro interiectione ponuntur.* Verg. Nauibus*(infandũ)amiſſis unius ob iram prodimur.* Hic *infandum pro interiectione poſuit.*

Voces

VOCES, QVÆ NON DECLI-
clinantur cum exemplis per alphabeti ordinem poſitæ.

A. Pro de. Teren. *A uilla mercenarium uidi.* Ad. Cice. *Ad undecimum Calendas Iunias legatus tuus mihi præſto fuit.* Ad quandoque ſignificat usq;. Tibullus. *Errat ad obſcuros pallida turba lacus.* Interdũ iuxta. Curtius. *Erat ad ripam fluminis ingens arbor.* Adeo quando præponitur coniunctio atq; ſignificat potius, uel etiã. Cic. *Hoc conſilio, atq; adeo hac amentia impulſi.* Idem: *Inſector, poſco, atq; adeo flagito.* Apprime. Terẽ *Fratrẽ eius adprime nobilem.* Idẽ: *Nam id arbitror adprime in uita eſſe utile, ut ne quid nimis.* Verg. *Flos apprima tenax.* Æque. Plin. *Æque nõ eſt dubium.* Ah modo dolentis, ſiue cõmiſerantis eſt. Verg. *Ah tibi ne teneras glacies ſecet aſpera plãtas.* Modo admirantis. Plau. *Ah quid agis?* Alibi Plin. *Variè terra quatitur, alibi proſtratis mœnibus, alibi hiatu profundo hauſtis, alibi egeſtis molibus.* Aliquantiſper. Teren. *Concedas aliquò aliquantiſper.* Idẽ. *Quur non ludo hunc aliquantiſper.* An. Quintil. *Ad quã ſcribendo plus, an legendo conferatur, ſolere quæri ſcio.* Antehac. Teren. *Quæ antehac facta ſunt omitto, modo quid deſignauit?* At. Particula at ſæpenumero cũ admiratione pariter, ac interrogatione laudat uel ui-

tuperat. Teren. *in* Eunu. *Fucum factum mulieri, at quem deum?* Cice. *pro domo ſua.* At *quæ dea eſt?* Idē *pro* Au. Clu. *Vna mater oppugnat, at quæ mater? quā cæcam crudelitate & ſcelere ferri uidetis.* Idem *pro* Milone. *Itaq; anteuertit, at quo die?* Idē *pro* Publio Sylla. *At quos uiros?* Idē *pro* Lucio Flacco. *At quos teſtes?* Quandoq; *ſaltē ſignificat:* Cato *de re ruſt. Si non eodē die, at poſtridie.* Cice. *Noſtram ſuffragationē ſi minus potentē, at probatam tamen, & iuſtam.* Idē *pro* Luc. Flacco. *Si non propinquitatis, at ætatis ſuæ: ſi nō hominis, at humanitatis rationē haberet.* Interdū *pro ſed accipitur.* Cice. *pro* Milone: *Quid porrò quærendū eſt? Factum ne ſit? At conſtat.* Aliquando *excerantis eſt particula.* Teren. *At tibi dii dignū factis exitiū dent.* Quandoq; *optantis.* Plaut. *At tibi dii omnes bene faciant.* At *certe pro ſaltem.* Quintil. *lib.* 1 *Si tamē non continget, quales maxime uelim habere nutrices, pueros, pædagogos: at unus certe ſit aſſiduus dicendi nō imperitus, qui, ſiqua dicta erūt uitioſe, corrigat.* Idē *in præfatione. Vt mihi ſi non inueniendi noua, at certe iudicādi de ueteribus iniungere laborem non iniuſte uiderentur.* Atq; *ſæpenumero pro quàm accipitur: ut quū dicimus, aliter ego feci, atq; tu.* Gemina *ſi fiat, auget intenditq; rem de qua agitur.* Vt *in* Q. Ennii *annalibus* Atq; *atq; accedit muros Romana iuuentus.* Cæ-

te:um

terum. Hac uoce utuntur, quoties ad diuerſa digreditur oratio. Certo. Certe quando ſequitur ſcio, mutat e in o: ut certo ſcio. Teren. dixit: Atqui certo comperi. Ceu. Plin. Stellæ antennis nauigantium, aliiſq; nauium partibus, ceu uocali quodã ſono inſiſtunt. Circiter. Plin. Vnde circiter ducentis milibus diſtat. Idẽ. Olympiade circiter quadrageſima ſecunda. Commodum opportune ſignificat. Teren. Commodũ huc aduenerat. Idẽ. Illa ſeſe commodũ huc aduorterat. Confeſtim. Plin. Proditur memoriæ magnam piſcium multitudinẽ confeſtim expiraſſe. Continuo. Teren. Cõtinuo hic adero. Contra & econtrario. Quintil. libro. 1. In quibus patriũ pro poſſeſſiuo dicitur, aut contra Paulò ante dixerat econtrario. Coram. Terẽ. Ah uereor coram in os te laudare amplius. Cum primis. Gell. Adhibebat nobis autoritates nobiliũ medicorũ, & cum primis Ariſtotelis. Cum religione. Teren. Dignus es cũ tua religione odio.

De cauſſis, pro propter cauſſas. Plin. Hyeme & æſtate rara fulmina contrariis de cauſſis. Idẽ. Variis de cauſſis. Idẽ. Contrariis de cauſſis. Demum ad poſtremum ſignificat. Teren. Ego nouus maritus anno demum quinto & ſexageſimo fiam. Idem. Vah, nunc demũ intelligo. Ponitur etiã pro duntaxat, uel omnino, præſertim quando iungitur uocibus is, ea, id, ita. Cice. Ea demum magna uoluptas

æqua-

æqualem ac parē uerbis uitam agere. Quintil. *Ita demum mihi ſatisfacies, ſi apud patrem fuiſti.* Dehinc. Teren. *At nunc dehinc ſpero æternā inter nos gratiam fore.* Idē. *Deleo omnes dehinc ex aīo mulieres.* Idē. Dehinc *poſtulo Daue ut redeat iā in uiam.* Deintegro. Teren. *Ecce autem deintegro*

Deniq;. Horat. *Deniq; ſit quod uis ſimplex duntaxat, & unum.* Plin. *Non matrimonia, non liberos, non deniq; quicq̄ aliud, niſi iubentibus ſacris deligunt.* Denuo. Teren. *Metuo ne denuo hinc aliquò extrudar.* Diu *nihil aliud ſignificat, niſi p longū tempus: ut diu nauigaui, Non diu receſſi, ſed nuper receſſi aut dudum dicendum.* Dum. Terē. *Dum tempus datur.* De duntaxat. *Duntaxat a ſolum, tantum & modo diſtat, quod tria hæc poſteriora conſequi particula poteſt ſed etiam, dūtaxat uero non.* Cice. *Vt tradamus ea duntaxat quæ nos uſus docuit.* Quintil. *In his duntaxat qualia hæc ſunt. Minus apte ergo ſic loquimur: Nō Rhetorice duntaxat, ſed etiam omne doctrinarū genus cognoſcendum.* E *quandoq; priuatiua dictio eſt Inde enodis eneruis.* Ecce. Plin. *Ecce fulgurū monitus, oraculorū præſcita.* Econtrario. Plin. *Econtrario ferunt Lunæ fœmineū ac molle ſidus.*

Eia. Plau. *Eia uero age dic.* Equidem. Plin. *Equidem & conſenſu gentium moueor.* Terē. *Dabo equidem operam.* Idem. *Vt te equidem di deæq;*

perdiunt

perdiunt. Equidem *pro quidem.* Sall. *Ego equidem ſic exiſtimo.* Enimuero. Teren. *Enimuero Daue nihil loci eſt ſegnitiæ.* Idē. *Verū enimuero id demum iuuat.* Lau. Valla. *Verū enimuero quo magis ſuperiora tempora infelicia fuerunt, eo plus gratulandum eſt noſtris.* Etiam atq; etiam. Teren. *Proin tu dum eſt tempus etiam atq; etiam cogita.* Ex. *Loqui ex tempore, id eſt, ſine præmeditatione* Ex cōpoſito, *hoc eſt, data opera.* Extēplo. Terē. *Quur non dixti extemplo Pamphilo.* Haud fermè. Idē. *Fidelē haud fermè mulieri inuenias uirū* Hem. Idē. *Hem aſtutias.* Hercle. Idē. *Si hercle ſciuiſſem.* Hei. Idē. *Hei uereor, nequid Andria adportet mali.* Heu. Idem. *Heu miſero mihi.* Heus. Idē. *Heus heus Syre rogat te Cteſipho ut redeas.* Idē. *Heus heus dico tibi Cherea.* Idem. *Heus heus Æſchinus ego ſum, aperite aliquis actutum oſtium.* Iam. Liuius. *Iam primum omnium ſatis cōſtat Troia capta in cæteros ſæuitū eſſe Troianos.* Teren. *Iam fermè moriens me uocat.* Lau. Valla. *Siquidē multis iam ſæculis latine nemo loquutus eſt.* Quintil. *Olim iam imperator inter fulgentes uirtutes tuas liuor locum quærit.* Horat. *Reddere q uoces iam ſcit puer.* Iamnunc. Terē. *Eamus iamnunc intrò.* Ibidem. Idē. *Teq; ibidem prouoluam in luto.* Identidem *ſignificat ſubinde* Plin. *Centū milia nummorū pro domo eius identi-*

dem promittens. Imò *aduerbium eligendi eſt, ſignificatq́; quin potius.* Varro. *Non humanitas, imò ſæuitia eſt lædere innocentem.* Plin. *Nihil ad- diſci noua inquiſitione, imo ne ueterũ quidē inuēta perdiſci.* Impendio. Teren. *Impendio magis aĩus gaudebat mihi.* In *nonnunq̄ pro inter accipitur* Græcorũ *more. Vt in mulieribus, id eſt, inter mulieres, quod Græci dicunt* ἐν γυναιξὶ. *Indidem aduerbium compoſitum ab inde & idem ſignificat ex eodē loco.* Gellius. *lib.* 2. Oritur Sol *non indidem ſemper.* Infra. Plin. *Infra* Solem *ambit ingens ſidus appellatum* Veneris. In *præſentiarum.* Valla. Intellexi *in præſentiarũ accidere.* Inſtar *proprie ad menſuram, ſiue ad magnitudinē ſignificat, licet nonnunq̄ improprie ſimilitudini attribuatur.* Verg. 2. Æneid. Ductores Danaum *tot iam labentibus annis,* Inſtar *montis equum diuina* Palladis *arte* Ædificāt. Marſilius *in* Conuiuiũ Platonis Agatho *amorē hominum inſtar formoſum pingit:* Inſtar *quandoq́; nō ad ſimilitudinē, ſed ſimilitudinē ſignificat.* Ouid. *in epiſt.* Vnũ *in me ſcelus eſt, quod te ſcelerate recepi,* Sed *ſcelus hoc meriti pondus, & inſtar habet.* In tempore. Teren. *In tempore ad eam ueni.* Idē. *Veni in tempore.* Inter *geminatum apud* Horatium. Neſtor *componere lites,* Inter Pelidem *feſtinat, & inter* Atridem. Interdiu. Plin. Iouis *Hammonis fons interdiu frigidus,*

noctibus

noctibus ſeruet. Interea. Teren. Tu hic nos dū eximus interea opperibere. Idē. Ego uirum interea opperibor. Idē. Cenſen me poſſe perpeti ne redeā intereaꝰ Idē. Interea mulier quædam abhinc trien• nium. Idē. Interea dum hæ ſileſcunt turbæ edor• miſcam hoc uilli. Interim. Idem. Tu cum illa te intus oblecta interim. Idē. Interim dum ante oſtiū ſto, notus mihi quidam obuiam uenit. Interim ꝑ aliquando. Plin. Quin & ideo lapidibus pluere in• terim, quod uento ſint rapti. Inter ſe. Terē. Fin gunt quandam inter ſe fallaciam. Idē. Qui ſcis eos nunc diſcordare inter ſeꝰ In uniuerſum. Quint. Verum anteq̄ de ſingulis loquar, pauca in uniuer• ſum de uarietate opinionum dicenda ſunt. Itaq; Vox itaq; & pronuntiatione & ſcriptura differt Quum enim ſyllaba media acuto tono notatur. ſig nificat & ita. Teren. Ita uolo, itáq; poſtulo ut fiat Chreme. Quando uero uocabuli medium ſine tono profertur, aliud nihil eſt, q̄ ergo uel igitur. Item ſimiliter. Teren. Item alia multa, quæ nunc non eſt narrandi locus. Itidē quoq; ſimiliter ſignificat Teren. Hæc eadem, quæ tibi dixi, dicam itidem illi.

Iuxta. Plin. Duo ſunt montes iuxta flumen Indū Iuxta pro æque ſæpenumero accipitur. Vt uir eſt doctus iuxta, ac bonus. Plin, Iuxta diebus noctibus q; tacitus labitur mundus. Idē. In Italiæ partibus quibuſdam iuxta hyeme & æſtate fulgurat. Sall.

Hyemem atq; æſtatem iuxta pati. Liquido. *Teren.Vt liquido poßim.* Mediusfidius idē eſt quod mehercules, quaſi me Iouis filius. Plin.in epi. *Sed mediusfidius ad diligentiam tuam pertinet inquirere, quorum uitio pecuniā perdiderint.* Mirum ni. Teren. *Mirum ni hanc dicit, huic quæ data eſt dono.* Idē. *Mirum ni domi eſt.* Næ adfirmandi aduerbium eſt, idem ſignificans quod certe. Teren. *Næ ille haud ſcit hoc paulum lucri, quantū ei damni adportet.* Idē. *Næ ille haud ſcit, quā mihi nunc ſurdo narret fabulam.* Idē. *Næ iſte haud mecum ſentit.* Idē. *Ne illiuſmodi iam nobis magna ciuium penuria eſt.* Idē. *Mihi ſi unq̄ filius erit, næ ille facillime utetur patre.* Idem. *Næ ego homo ſum infœlix.* Idē. *Næ ego fortunatus homo ſum.* Idem. *Faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant.* Plau. *Næ tibi hercle haud longe eſt os ab infortunio.*

Ne. Lau. Valla. *Ne hoc quidem barbarie caret*

Ne an. Horat. *Intererit multū Dauus ne loquatur an Heros.* Nec ne. Teren. *Filium habeam nec ne incertum eſt.* Nedum idem eſt quod nō modo, nō ſolum, non tantū. Verū aliam in cōtextu ſeriem habet, quam exempla indicabunt. *Sanguinē pro te funderem, nedum pecuniam dicimus, id eſt, non ſolum pecuniā pro te funderē, ſed etiam ſanguinē. Sanguinē pro te funderē, nedum obolū darē* In negatiua oratione id quod minus eſt antecedit,

& quod maius eſt,ſequitur. Pecuniam pro te non funderem,nedum ſanguinē,id eſt,non ſolum pro te ſanguinē non funderem,ſed nec pecuniam. Obolū non darem,nedum ſanguinē funderē,id eſt,non ſolum pro te ſanguinē non funderem,ſed ne obolum quidem darem. Nempe aduerbium adfirmandi eſt. Vt quid eſt uita ſine literis? Nempe nauis ſine clauo. Cice. Apud quē hæc dico? Nempe apud eum qui quum hoc ſciret,me tamē anteq̄ uidit, reipublicæ reddidit. Lau. Valla. Qui enim ſummi Philoſophi fuerunt,ſummi oratores, ſummi iureconſulti, ſummi deniq; ſcriptores? nempe ii,qui bene loquendi ſtudioſiſſimi. Nimirum. Quintil. Demus id, quod nullo modo fieri poteſt, idem ingenii, ſtudii, doctrinæ,peſſimo atq; optimo uiro,uter melior dicetur orator? nimirum qui homo quoq; melior. Nimium. Teren. Ait nimiū parce facere ſumptū

Non modo. Dictionibus his quatuor,non,modo, uerum, etiam ſeu quoq; ornate aliquid interponitur ad hunc modum. Plin. Non terræ modo conceptus implet,uerum animantiū quoq; omniū ſtimulat. Non ſine. Pro cum quandoq; non ſine utuntur, Vt quū multa in imperitos non ſine ſtomacho protuliſſem. Plin. Non ſine odoris tædio. Idē. Non ſine aquæ dulcis riuis. Nunc iam. Teren. Nunc iam porro Æſchine expergiſcere. Idē. Iube nunc iā dinumeret uiginti minas. O indicat admiratio-

nem, quandoq; indignationem: ut O ſceleſtum hominem. Nonnunq̃ *deſyderiũ: ut O mihi tam longe maneat pars ultima uitæ.* Interdũ *exclamantis eſt ut, O fortunati quorũ iam mœnia ſurgunt.* Obuiam. Teren. *Oportune hic fit mihi obuiam.* Idem. *Tu pueris cùrre Parmeno obuiam.* Olim. Quint. *Tamen illam facilitatem olim deſideramus.* Omnino. Plin. *Veteres quatuor omnino uentos ſeruauere, per totidem mundi plagas.* Oppido. Terẽ. *Iuſtam rem oppido imperas, & factu facilem.* Optato. Idẽ. *Optato aduenis.* Pariter &. Plin. *Amburens contacta, pariter & proterens.* Parumper. Terẽ. *Parumper operire me.* Pauliſper Idẽ. *Pauliſper mane.* Penè. Idẽ. *Penè illuſi uitã filiæ.* Lau. Valla. *Ac pene cum ipſis literis demortuæ fuerint.* Penes *ſignificat apud. Sed uſurpatur frequentius in his quæ ſpectant ad dominium, laudem, uel uituperium, commodũ aut incommodũ,* Varro. *Seruorum cura penes dominos ſit.* Liuius. *Vt penes eoſdẽ pericula belli, penes quos præmia eſſent.* Per *primo refertur ad locum & tẽpus, ut, per forum.* Plin. *Per ſeptẽ dies ſidus crinitũ apparuit.* Idẽ. *Æſtate arcus per meridiẽ nõ cernũtur* Iterũ. *Per hyemem niues cadere non grandines.* Secundo *iurandi eſt particula: ut, per Iouem.* Tertio *obteſtantis.* Verg. *Per connubia noſtra per incertos hymenæos.* Quarto *abnegantis in cõpoſitione: ut*

ne:ut, periurus,perſidus,qui iuſiurandum fidemq́ nõ ſeruat. Quinto in totum ſignificat,uel usq; ad finem. Inde perlegere,perferre. Sexto,ualde:ut,perpulchre,perbelle. Septimo nimis, aut uehementer, Hoc modo in partẽ peiorẽ accipitur: ut, pertinax, id eſt,nimis tenax. Per tempus. Teren. O Chreme per tempus aduenis. Perinde ſignificat tria: ita,ſimul,multum. Ita ſequente ac uel acſi: ut, Fac perinde acſi res tua eſſet:faueo rei tuæ perinde ac meæ. Simul: Plin. iunior: Funus Ruſi clariſſimi & perinde feliciſsimi. Multum: Sueto. quare aductus eius non perinde gratus fuit. Plin. Perinde confeſſum eſt. Perinde quaſi. Cice. pro Milone. Hoc enim ſæpe ab iſtis dicitur,pinde quaſi Appius ille cæcus uiam muniuerit. Idẽ pro Clu. Perinde quaſi ego non ab initio huius defenſionis dixerim. Idem pro eodẽ. Perinde quaſi exitus rerũ,non hominum conſilia,legibus uindicentur. Perplurimum. Pli. Itaq; perplurimum refert, unde uenerint fulmina, & quò conceſſerint. Plus millies. Terẽ. plus millies iam audiui. Idẽ. plus quingentos colaphos infregit mihi. Porro uel porro autem nouo iã quaſiq; maioris ſermonis initio conuenit, annotatore Donato. Cice. Quid ſit porro aius. Terẽ. Adeon' me ignauum putas? adeon' porro ingratum. Plin. iunior. Igitur cogendus fuiſti,cogi porro nõ poteras,niſi periculo patriæ. Poſtea. Teren. Quid

poſtea? Poſthac. Idē. *poſthac incolumem ſcio fore me*. Idē. *Adoleſcēti eriperē oculos, poſthac præcipitem darem.* Poſtremum. Idē. *Hodie poſtremū me uides.* Præ *interdum comparationem quandã inducit. Vt præ nobis beatus uideris, id eſt, plus nobis*. Hæc *præpoſitio tam compoſita, q̃ ſeparata ſemper diphthongon habet.* Præ *amore*. Teren. *Miſera præ amore excluſit hunc foras.* Pridie *eius diei: pridie Nonas Iunias*. Cice. *pridie Nonas Iunii literas tuas accepi.* Procul. Pli. *Haud procul urbe Roma*. idē. *In agro nō ꝓcul urbe Roma*. idē. *In Hetruria nō ꝓcul à mari.* Proin ꝑ *proinde*. Terē. *proin tu face apud te ut ſies.* Proinde *ſignificat ideo uel ideoq̃.* Propè *aduerbiū ſignificat ferè*. Vnde Pli. *In foribus tēpli prope collapſus expauet.* Prope *præpoſitio idē eſt, qđ iuxta*. Q. Curtius *Cū ꝓpe id oppidū*: Inde *propius, proximus, proxime, quæ etiam accuſatiuo iunguntur, quemadmodū prope*. Sall. *proxime Hiſpaniam Mauri ſunt.* Propter *pro prope*. Teren. *Interdum propter dormiet*. Verg *Templum de marmore ponam propter aquam.* Prout. Plin. *Varietates colorum in nubibus cerni, prout admixtus ignis ſuperet aut uincatur.* Quamdudum & quampridem *interrogatiue capiuntur, ſignificant quamdiu*. Terē. *Quærit quampridem pater mihi, et mater mortui eſſent dico iam diu.* Quamlibet. Quintil. lib. 1. *Nã certe quamli-*

quamlibet parum ſit, quod contulerit ætas prior, maiora tamen aliqua diſcet puer eo ipſo anno, quo minora didiciſſet. Quamprimum. Terent. *Fac quàmprimum hæc audiat frater.* Idē. *Reſpondeat mihi, ut quid agam quamprimum ſciam.* Quando Plin. *Vix propè eſt iudicare utrum magis cōducat generi humano, quando aliis nullus eſt deorū reſpectus, aliis pudendus.* Teren. *Meus fac ſis poſtremo animus, quando ego ſum tuus.* Quandoquidē Idē. *Deos quæſo ut ſit ſuperſtes, quandoquidē ipſe eſt ingenio bono.* Quaſi. idē. *Iſtæc cōmemoratio quaſi exprobratio eſt immemoris beneficii.* idē. *In commune ut conſulas, quaſi illa tua ſit, Pamphiliq; ego ſim pater.* Lau. Valla. *Hunc quaſi deū quendā è cœlo demiſſum retinuerunt.* idem. *Quaſi amiſſo Romano imperio, nō deceat Romane loqui.* Plin. *Quaſi uero menſuram ullius rei poſſit agere, q ſui neſciat.* Quatenus, *eſt usq; ad quem locum, uel usq; ad quod tempus: ſicut hactenus ad hunc uſque locum, uel ad hoc usq; tēpus: ut, quatenus iſtos mores exercebis? quatenus ibimus.* Aliud eſt quatinus.

Qui. Teren. *Qui ſcis ergo iſtuc?* Quidem *aduerbium adfirmandi eſt, ut quod quidem magis credo.* Cice. *Ab optimis quidē uiris, ſed non ſatis eruditis.* Quid tum. Teren. *Quid tum quæſo ſi hoc pater reſciuerit?* idē. *Quid tum poſtea?* Quin. *Dictio quin aliquando increpat cum aſpera inter-*

rogatione. Teren. Quid ſtas lapis, quin accipis? id eſt, quur non. Aliquando interrogat ſine increpatione. ut, quin ſtudes? quin ad me uenis? Quandoq; exhortatur. Teren. Quin tu uno uerbo dic, quid eſt quod me uelis. idē. Quin dic quid eſt? Plau. Quin tu eloquere, quid faciemus. Interdū confirmat, ſignificatq; etiam, uel quinetiam. Verg. Quin aſpera Iuno, quæ mare nunc terrasq; metu cælumq; fatigat Conſilia in melius referet. Plin. Quin & ſua ſponte quædam ſtatisq; temporibus: ut Hœdorum exortus. idē. Quin & ſoricum fibras reſpondere numero Lunæ exquiſiuere diligentiores. idem de terra: Quin & uenena noſtri miſerta inſtituiſſe credi poteſt. Aliquando ſignificat quod, præſertim negatione præcedente. Vt non dubium eſt quin Cicero oratorū oīm clariſſimus ſit. Teren. Non dubium eſt, quin uxorem nolit filius. Deniq; quin ſignificat qui non, uel quod non: Vt nullus eſt quin te amet, id eſt, qui te non amet. Nunq̃ ad te uenio, quin diſcedam ſapientior, hoc eſt, quod non.

Quippe ſine relatiuo qui ornatam reddit orationē Significat enim uel quoniam, & modo principium modo medium orationis poßidet. Plin. quippe manifeſtum eſt Solem interuentu Lunæ occultari. idē Toto quippe mundo, fortuna ſola inuocatur. Gell. Facit quippe imaginem. Quouſque interrogatiue capitur, ſignificat uſque ad quod tempus, id eſt,

quamdiu. Cice.Quouſq; tandem abutêre Catilina patientia noſtra? Interdum uſque ad quem locum. Quouſq; agri tui fines protraxiſti? Quum. *Voci quum iungitur id,quod generalius eſt,& uoci tũ, quod minus eſt commune. Vt homo quum in omni diſciplina,tum in rhetorica exercitatiſſimus.*Hac *uirtute præcellunt,quum omnes poëtæ, tum præci pue* Homerus.Cice.*Quum in omni diſciplina,tum uero in μνημονικοῖς ars ſine exercitatione infirma eſt.* Retro.Plin. *Amnes retro fluere & noſtra uidit ætas.* Sanè. Gell.*Sed utantur ſane, q tam expediti ſunt perfugiis commutationũ in uerbis.*Gell.*Poterit ſane ita dici.* Scilicet. Terẽ.*Id populus curat ſcilicet.Scilicet nonnunq̃ ſignificat ad hoc.* Hieronymus.*Victorem iuſſit melle perungi ſcilicet ut muſcarum aculeis cederet,qui ignitas ſartagines ſuperaſſet.* Sed &. Quint.*Neq; ſolum negligentis,ſed & mali.* Semel pro ſimul. Quint.*Et ut ſemel omnia complectar.* Simul geminatũ *pro tum geminato. Quintil.in præfatione* Pluſquam *imponebatur oneris ſponte ſuſcepi.ſimul ut pleniori obſequio demerer amantiſſimos mei,ſimul ne uulgarem uiam ingreſſus alienis demum ueſtigiis inſiſterẽ.* T.Liuius:*Audita clades ſimul pauorem,ſimul luctum ingentem fecit.* Sin. *Si illũ relinquo,eius uitæ timeo:ſin opitulor,huius minas* Siquidem.Teren.*Siquidem me amaret, tum iſtuc*

prodeſſet

prodeſſet Gnato. idem. Occidi, ſiquidem uera prædicas. idē. Actum eſt, ſiquidem hæc uera prædicat. Siquidē *idē quandoq; ſignificat, quod quia uel quoniam.* Plin. *Siquidem earum ſimilitudinem trahunt in quarū aëra uenere ſubeundo.* Subinde *ſignificat identidem.* Vt *ſubinde reſpice ad puerum an ſequatur.* Super. *quadruplex uſus eſt præpoſitionis ſuper,* Dicimus *namq; ſuper numerū ingenuorū id eſt, ultra numerū.* Super *hæc omnia, id eſt, præter hæc omnia.* Super *Priamo, id eſt, de Priamo.* Super *arbore ſidunt, id eſt, in arbore.* Tandem. Teren. *Vix tandem ſenſi ſtolidus.* Tanquam. Plin. *Et tanquam interna mundi cuncta plane iam ſint nota ita ſcrutari extera.* Gell. *Tanquàm apud ſcopulos Sireneos conſeneſcere.* Lau. Valla. *Linguæ uero ſuæ ampliatione ſeipſis ſuperiores fuerūt tanquam relicto in terris imperio, conſortiū deorū in cælo conſequuti. idē. Illud iampridem tanquam onus abiecerunt. idē.* Græciæ *multæ linguæ ſunt tanquā in rep. factiones.* Tantiſper. Teren. *Tantiſper cauet, dum id reſcitum iri credit.* Tum *pro tunc.* Gell. *Venerat tum ad eam cænam* Antonius.

Væ. Teren. *Væ miſero mihi.* Vel *pro etiam.* Plin. *Heliotropium omnibus horis cum Sole uerti, uel nubilo obumbrante.* Velut. Lau. Valla. *Multarum gentiū uelut una lex eſt lingua Romana* Verius *pro potius.* Plin. *Diſiecta nube uerius, q̄ rupta.*

pta. Verſus præpoſitio ferē ſemper poſtponitur Plau. Ego portum uerſus pergam, & perquiram, quem ſi non inuenero,domum uerſus reuertar. Verumtamen.Teren.Verumtamen potius q̃ te inimicum habeam, faciam ut iuſſeris. Videlicet. Lactan.Sed uidelicet qui ſummam ueritatis amiſit, ſemper erret neceſſe eſt. Vnà.Teren.Vnà à pueris paruoli ſumus educati, unà ſemper militiæ & domi fuimus, paupertatē unà pertulimus grauem. Vſque & locis & temporibus accōmodatur, additurq; uocibus de loco uel ad locum ſignificātibus Cice. Vſque ad Numantiam.Teren.Ex Æthiopia usq; eſt hæc. Vſque ad.Plin.Poſt eos rurſus Auſtri frequentes uſque ad ſidus Arcturi.Teren.Te in piſtrinū Daue dedam uſque ad necem.idē.Neue usq; ad lucem uigiles.Plau.Tu usq; a puero ſeruitutem ſeruiuiſti in Aulide. Vſque pro ſemp.Terē Qui uſque unà affuerim. Vſqueadeo. Idem.Non deſtitit ſuadere,orare uſqueadeo donec perpulit

Vt ſignificationes nouem habet, quæ ordine ſequuntur. quandoq; coniunctio cauſſalis eſt, iungiturq; coniunctiuis.Ouid.Vt corpus redimas ferrū patieris & ignes.Secundo eſt aduerbium qualitatis,& ſignificat quomodo. Verg.Vt uidi,ut perii, ut me malus abſtulit error.Vt uales,id eſt,quomodo.Tertio pro quippe ſiue utpote accipitur ſequēte relatiuo.Quintil.Nec ignoro igitur,quos tranſeo,

nec utiq; damno, ut qui dixerim eſſe in omnibus utilitatis aliquid. Quarto ſimilitudinis eſt pro ſicut, ſequente ita. Quintil. quod ut longe optimum, ita difficillimum. Quinto, eleganter accipitur pro utinam. Teren. Vt te dii deæq; omnes perdant. Sexto pro quamuis. Plau. Vt iſtuc periculum ingens ſit, me tamen non interfecit. Septimo ornate ſequitur uerbum facio. Cice. Faciendum puto ut paucis rationem noſtri conſilii demus. Octauo ſignificat qđ Non eſt opus ut fugias. Nono poſtq̃. Cice. Equidẽ ut ueni ad urbem, non deſtiti omnia & ſentire, & dicere, & facere, quæ ad concordiam pertinerent.

Vtpote. Lau. Valla. Has annotationes nemo diuinabit, utpote nullius noíe ſcriptas. Vtiq; ſignificat prorſus omnino.

ALIÆ EIVSDEM GENEris uoces, quæ in ordine præcedenti haud ſatis commode locum habebant.

EAndem fere in oratione uim & elegantiam habent particulæ tres geminatæ modo, alias nunc: Vt modo negat, modo ait. Nunc nemimẽ admittit, nunc oíbus occurrit. Plin. lib. 2. nat. hiſt. de Luna. Modo curuata in cornua, modo æqua portione diuiſa, modo ſinuata in orbẽ. Maculoſa eadẽq; ſubito prænitens, immenſa orbe pleno, ac repentẽ nulla. Alias admota cælo, aliàs contigua montibus

nunc

nunc in aquilonem elata, nunc in auſtros deiecta. Plin. iunior: Nunc cythara, nunc lyra perſonatur. Quintil. Actionem Cicero aliàs quaſi ſermonem: aliàs eloquentiam quandam corporis dicit. Dum & donec quandoq; iunguntur ſubiunctiuo. Vt dabo operam literis donec moriar, id eſt, usq; ad mortem. quandoq; indicatiuo: ut dabo operā literis donec uiuo, hoc eſt, quamdiu uiuo. quoad ſignificat q̃ diu, donec, uel quouſq;. Vt dabo operam literis quoad uiuam, uel quoad moriar. Circa ſignificat locum & tempus. Vt circa forum, circa horam tertiam. Circiter tẽpus & numerũ. Plau. Redito huc circiter meridiem. Quintus Curtius. Multi eo bello capti, circiter duo milia deſiderati. Intra tẽpus, Vt ueniam intra horam. Infra locum: ut infra tectum. Etiam ad dignitatem refertur: ut infra dignitatem tuam eſt, hoc eſt, minus, uel humilius, q̃ dignitatem tuam deceat. Tantiſper, pauliſper, aliquantiſper parumper referuntur ad breuitatẽ temporis, & poſtulant poſt ſe dum, donec, quamdiu, uel quoad. Teren. Ego tantiſper te dici uolo meũ, dum id quod uolo facis. Tempus uixdum præteritum ſignificatur per modo. Paulo longius, per dudũ, & iam dudum. Iam dudum ſignificat continuationem temporis, & uerbo iungitur præſentis temporis: ut iamdudum abſum e Gallia. Teren. quid interim iam dudum Gnatus ceſſat cum Syro. Idẽ. Iamdudũ amat te.

te. Idem. Te iamdudum quæro Mitio. Adhuc longius, per nuper, pridem, iampridem. Longiſſimum, per quondam, & olim. Olim etiam futurum ſignificat. Continuo, protinus, ſtatim, ſynonyma ſunt, ſignificantq; ilico uel repente. quando antecedit negatio, uel quando etiam interrogatio, ſignificant non ideo. quintil. Continuo ne ſi ille ſtulte cogitauit, nobis quoq; ſtulte dicendũ eſt? Cominus certare dicũtur, quũ res manibus, & gladiis inter hoſtes agitur. Eminus, quum iaculis inter ſe decertãt

Quin & num præponuntur. Vtiq; poſtponitur. Sin nunquam dicitur, niſi præceſſerit ſi, aut fuerit ſubintellectum. Ita pro ualde poſtponitur. quia nõ ponitur ante ſed. Nec dicas concinne, non uero, ſed non autem. Nec neq; autem, ſed neq; uero. Nec age autem, ſed age uero. Nec ſane autẽ, ſed ſane uero. Nec iam autem, enim autem, tum autem, ac autem. Sed iam uero, enimuero, tum uero, ac uero. Poſt nõ & nec enim appones, ut non enim, nec enim, uel neq; enim, non tamen dices, ne enim, aut ne uero

Particulis iam uero, age uero, quid quod, quum progreſſu incandeſcit oratio utimur, ſpectant ad connectendum ſermonem. Iam uero quid referam? Age uero ad bellum in Africa geſtum ueniamus. quid quod ſuos etiam inceſſit. Ad hoc genus pertinent quin, quinetiam, inſuper. Viciſſim ſignificat alternatim: ut viciſſim ſuccumbunt oneri. In-

terdum

terdum ediuerſo. Cice. Sed ego admiratione quã dam uirtutis eius: ille uiciſsim opinione fortaſſe nonnulla, quam de moribus meis habebat, me dilexit

Mutuo ſignificat inuicem. Cice. Mutuo ſe amabant. quandoq; ediuerſo. Cice. Fac me mutuo diligas. Inuicem, idẽ eſt quod mutuo. Quintil. Qui ſe ardentiſſimo amore inuicem dilexerunt. Nonnunq̃ ediuerſo. Quintil. Qui ſi nihil inuicẽ præſtent, indigni fuerunt defenſione. Val. Max. Ab eo inuicẽ non diligeretur. His tribus uocibus iam, iãiam & mox explicatur Græcorũ paulo poſt futurum: ſignificantq; paulopoſt, uel ſtatim. Vt iam aderit: ſimilis iamiam morituro: mox audies. Differunt ultro, citro, huc & illuc, quod ultro & citro dicãtur in dictis & factis. In dictis: Cice. Multisq; uerbis ultro citroq; habitis. In factis: Idẽ. 2. de na. deo. Sic naturis his, ex quibus omnia conſtant, ſurſum, deorſum, ultro citroq; cõmeantibus mundi partiũ coniunctio continetur. Huc & illuc in factis ſolũ Plin. Siue hic eſt ille generabilis rerũ naturæ ſpiritus huc illucq; tanq̃ in utero aliquo uagus. Diſtãt ultro & ſponte, quod ultro ſolũ referatur ad animata. Teren. Venit Chremes ultro ad me. Sponte etiam ad inanimata. Vt: hæc herba ſponte creuit. Lapis ſponte decidit. Vt, utpote, quippe ſignificant quia ſequẽte relatiuo qui, quæ, quod. Vt. Quintilianus: Deinde quũ proferẽda ſunt ſtudia, caligat

87

in ſole, & omnia noua offendit, ut qui ſolus didicerit, quod inter multos faciendum eſt. Vtpote Sal. *Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu expeditos in fugam ſequeretur.* Plin. dixit utpote quum: *Plerunq; & tardius, utpote quũ annuo & biennii ſpatio durauerint.* Idẽ. *Vtpote quũ plura exẽpla ſint.* *Sunt orationes ubi utimur niſi, & non quàm. Vt quid eſt animal niſi corpus cum anima concretum.* Teren. *Tu quantusquantus nihil niſi ſapientia es. Sunt etiam orationes ubi utimur uocibus niſi & quàm ſine diſcrimine, quando antecedit aliud, aliter, uel cõparatiuus. Vt quid eſt animal aliud, quàm corpus cum anima concretum. Nihil aliud, quàm aut niſi ſapientia es.* Quintil. *Nihil facilius niſi totã orationẽ oĩno non agere. Voce præterquàm utimur, ubi ponitur præter. Vt omnibus places præter me, uel præterquã mihi. Sex aduerbia quaſi, uelut, ueluti, tanquã, uti, & ceu imaginẽ rei ſignificant, & exponuntur p uerbum ſubſtantiuũ. Vt tu incedis uelut rex, uel tanquã rex aut ueluti urſus, id eſt, tanquã ſi eſſes rex uel urſus. Cæterum tria aduerbia ſicut, ſicuti, ut ſimilitudinem notant, & per idem uerbum explicantur. Vt tu loqueris ſicut rex, id eſt, ſicut rex loquitur.* Pro eodem accipiuntur ut, uti, quo. *Cura ut conualeſcas.* Da operã *uti doctior euadas.* Quintil. *Quò ſit leuius ipſum illud, in quod exercent.*

Alius cum ac,atq;.

ALiud, aliter,contra, ſecus, ſimile,pariter, æque, & quandoq; comparatiuũ elegãter poſt ſe particulas ac,atq;,ut,quàm admittunt. Primum exempla de alius ponemus. Inde ordine ſequẽtur reliqua. Teren. in Phor. Aliud mihi reſpondes ac rogo. Cice. in Verrẽ. Ne alio menſe, ac fas erat, comitia haberẽtur. Idẽ de oratore. Poteſt enim nõ ſolum aliud mihi, ac tibi, ſed mihi ipſi aliud aliàs uideri. Idem pro Cor. Balbo. Quid ergo hi poſſunt aliud iudicare, ac iudicauerunt? Idẽ de arte rheto. Aut ſi alia ratione, aut aliã ob cauſſam, ac dicet ſe reus feciſſe, demonſtrabitur eſſe factum. Cæſar in cõmen. Qui longe alia ratione, ac reliqui Galli bellum gerunt. T. Liuius ab urbe cõdita. Aliã ſuã ac transfugarũ cauſſam eſſe. Hactenus ac poſt aliud poſitum fuit. Sequitur atq;. Plau. Illi ſunt alio ingenio atq; tu. Terẽ. in Andria. Alium nũc cẽſes eſſe me atq; olim, cũ dabam. Idẽ in Eunu. Vereor ne aliorſum, atq; ego feci, acceperit. Cice. Nõ alius eſſẽ atq; nunc ſum. Idẽ in Academicis. Quũ aliud agnoſceret, atq; ſentiret. Idẽ in rheto. Alio noĩe illã rem de qua agitur appellari oportet, atq; aduerſarii dicunt. Cæſar in cõmen. Docet lõge alia ratiõe eſſe bellũ gerendũ, atq; antea geſtum ſit. Idẽ. Longe aliud ſibi capiendũ conſilium, atq; ante ↄſenſerat. Idẽ. Longe aliam eſſe nauigationem in concluſo ma

ſo mari, atq; in apertiſſimo oceano perſpiciebant. Idē. Aliæ ſunt legati partes, atq; imperatoris.

Aliter & aliorſum cum, ac, atq;.

TEren. in Heauton. Aliter tuū amorem, atq; eſt accipis. Varro de lingua latina. Aliter atq; in reliquis dicitur. Idē de re ruſt. De emptiōe aliter dico, atq; fiet. Idē de lin. lat. Hoc nūc aliter fit, atq; olim. Ibidē. Quædam aliter olim ac nunc. Cice. de oratore. Quum aliter ſentias ac loquare. Cice. in partitionibus oratoriis. Caſu quum aliter cecidit, ac ſperatū & putatū ſit. Idē in Sall. Neque enim qui ita uiuit ut tu, aliter ac tu loqui poteſt. Idē de officiis. Aliter de illis, ac de nobis iudicamus. Cic. pro Sexto Roſcio. Aliter cauſam agi, atq; ille exiſtimaret. T. Liuius ab urbe condita. Longe aliter patres, ac plebē affecere. Cice. de arte rhet. Quū aliter quid accidit, atq; hi qui arguuntur, arbitrati eſſe dicuntur. Idē de finibus bonorū & ma. Hic loquebatur aliter, atq; oēs ſentiebant. Idē. Sed aliter, atq; oſtenderā facio. Idē pro domo ſua. Hæc homines improbi ad quoſdā uiros fortes longe aliter atq; à me dicta ſunt, detulerunt. Teren. Nunq; te aliter, atq; es in animum induxi meū. Idē. Neue aliorſum, atq; ego feci acceperit.

De particula contra cū, atq;, ac, quā poſita

PRimum exempla de Atq; ponūtur: inde de ac: poſtremo de quàm. Cice. pro P. Sylla. Iā enim

ſaciam criminibus omnibus penè diſſolutis contrà atq; in cæteris cauſſis fieri ſolet. Idē in Catilinam. Iidemq; iuſſerunt ſimulacrum Iouis facere maius, & in excelſum collocare, cōtra atq; antea fuerat. Idē in Som. Scipionis. Qui uerſatur retro contrario motu atq; cælum. Cæſar in cōmen. Qui contra atque eſſet dictū, præliū commiſiſſent Sequitur ac Cice. pro Cor. Bal. Si deniq; aliquid, quod nō contra ac liceret factū diceretur, ſed contra atq; oporteret. Idē de oratore. Vt contra ac dicat accipi, et ſentiri uelit. Idē in Verrē. Si hæc cōtra ac dico eſſent oia. Idē de fin. bo. & ma. Itaq; contra eſt ac dictis. Idē de diuinatione. Vides tamē oia ferè contra ac dicta ſunt, eueniſſe. Idem in philippica. 12. Præſertim quū contra ac Deiotarus ſenſit, uictoria belli iudicauerit. Sall. in Catil. Vbi uidet Catilinā contra, ac ratus erat contendere. Exempla de quàm. Cice. pro A. Cecin. Miror te hoc in hac re alieno tēpore, & cōtra quā iſta cauſſa poſtulaſſet defendiſſe. Idē pro Clu. Generi ſui contra, quā fas erat, amore capta. Idem pro domo ſua. Aut quid de ueſtro iure, aut religione, contra quā propoſuerā diſputabo. Idē de arte rhet. Qui contra quàm ſcriptum ſit, aliquid probare uelit. Idem in Piſonē. Vt ſenatus contra, quā ipſe cenſuiſſet, ad ueſtitū rediret. Ouid. Obſequio tranantur aquæ: nec uincere poſſis Flumina, ſi contra, q̃ rapit unda, nates. Vul.

de ſeruitutibus, quod ui, aut clam l. Prætor ait: Si quis cõtra q̃ prohiberetur, fecerit. Idem. Quod ui, aut clam. l. Si alius. Ait Iulianus, qui ante nuntiationis remiſſionem contra, quã prohibitus fuerit, opus fecerit.

Secus cum quam, ac, atq́;.

PLautus. Ne me ſecus honore honeſtes, quam ego te. Cice. Me non multo ſecus facere, quũ de oratore diſputem, ac facerẽ, ſi eſſet mihi de hiſtrione dicendum. Idẽ pro Lucio Murena: Nõ ſecus, ac ſi meus eſſet frater. Iterũ. Nõ dixi ſecus, ac ſententiã. Idẽ pro Planco. Cuius ego ſalutẽ nõ ſecus, ac meam tueri debeo. Idẽ. Sed aliquanto ſecus, atq́; in tradenda arte dici ſolet. Idẽ de na. deorum Quoniã cœpi ſecus agere, atq́; initio dixerã. Verg. Haud ſecus, atq́; alto in luco. Idẽ. Haud ſecus, ac iuſſi faciunt.

Similis, par, pariter, æque, & comparatiuus cum ac, atque, quàm.

TEren. in prologo Phorm. Ne ſimili utamur fortuna, atq́; uſi ſumus. Cice. de fin. bon. & ma. Itaq́; & ſimilis erit finis boni, atque antea fuerat. Cæſar in cõmen. Hortatur eos, ut ſimili ratiõe atque ipſi fecerunt, ſuas iniurias perſequantur. T. Liuius ab urbe cõdita. Similẽ pauorẽ inde, fugamq́; fore, ac bello Gallico fuerat. Cice. de na. deo. Neq́; enim mihi par ratio cũ Lucilio eſt, ac tecum fuit.

T.Li.*ab urbe condita.Nequaquam pari ad patien da ea robore,ac* Romani *fuiſſent.*Idem.*Trucidant fœminas pariter ac uiros.Teren.in Andria.* Quis *miſer æque ac ego?* Iterum. *Miſer æque atq; ego. Cæſar in cōmen.Æqua ferè latitudine,atq; ille con geſtus ex materia.* Cice.*Æque turpe,atq; illud, de quo ante dixi.*Plau.*Ridiculus æque nullus eſt,quā dum eſurit.* Idem *in* Aulularia.Nunq̄ *æque patri nuncium lepidū attulit,q̄ ego nunc meæ heræ nū ciabo.*Cice.*pro domo ſua.*Itaq; *libentiſſime prædi cabo* Cn.Pompeiū *ſtudio & autoritate, æque, ut unūquenq; ueſtrū pro ſalute mea laborauiſſe.*Idē. *Mihi quidē uidetur diutius abfuturus, ac uellem.* Hora.*Arctius atq; hedera ꝑcera aſtringitur Ilex*

ADAGIA ALIQVOT
breuiter declarata.

PIngui *Mineruā,indoctius ſignificat et citra multam curam.* Inuita *Minerua,repugnāte natura.*Leonem *ſtimulas,potentiorē malo tuo pro uocas.*Bonis *auibus,feliciter.*Noctua *uolat,omnia ex animi ſententia ſuccedunt.*Quarta Luna *natus, id eſt infelix.*In *me hæc cudetur faba,in me tranſ feretur culpa.* Seruire *ſcenæ,tempori & rebus ſe accōmodare.*Vti *foro,idē eſt.*Multæ *regum aures & oculi,hoc eſt,multi exploratores.* Clauū *clauo pellere, eſt dolum dolo pellere.* Malo *nodo malus quærendus cuneus,idē.*Cretenſis *Cretenſem pro uocat*

uocat,improbo negotium cum improbo eſt. Curſu lampada trado, quando defatigatus recenti cedit: ut in ſtudiis ueteranus nouitio. Talaria induere, fugam parare. In triuio ſum,id eſt, incertus quid agam. Cum laruis luctatur,in mortuos inuehitur. Neſtorea eloquẽtia,hoc eſt,maxima,à Neſtore Pyliorum duce.De lana caprina,de re nihili. Penſum perſoluit,in re quapiam ſuo perfunctus eſt officio Mare cælo miſcere,clamore omnia turbare. Miſcere ſacra profanis,oĩa audere.Omniũ horarũ homo,omnibus ſe accõmodans. Extra telorũ iactum, uel poſt principia,id eſt,in tuto:Tuis te pingam coloribus,qualis es,talem te deſcribam. Hodie nullã lineã duxi,nihil feci quod ſit mei ſtudii.Mordicus tenere,pertinaciter defendere. Aſinus ad lyram, de eo qui tentat artem, ad quam diſcendam non ſit aptus.Nihil graculo cum fidibus,nihil indocto cũ honeſta diſciplina. Penelopes telam retexere,fruſtra laborare.Crambe bis poſita mors,eadẽ ſæpius iterata adferunt faſtidium. Aſinus inter ſimias, ſtupidus inter naſutos,et dicaces.Fucum facere,decipere.Stilum uertere,ſcriptũ mutare.In portu impingere,in principio errare. Copiæ cornu,rerum abundantia. Ne ſutor ultra crepidam:ne iudices de re,quæ ſit ab arte, quã didiciſti aliena. Refricare cicatricem,renouare dolorem.Crœſo ditior, Craſſo ditior, Pactoli opes : in ualde diuites hæc

tria dicuntur. Mihi iſtbic nec ſeritur, nec metitur nibil ad me pertinet. Vna hirundo uer non efficit, uno die non paratur eruditio. Attollere ſupercilium, arrogantem eſſe. Ede naſturtium: in ſtupidos dicitur, ſiquidē naſturtii eſus animū excitat. In diē uiuere, non curare craſtina. Plus aloēs, quā mellis, plus mœroris, q̄ uoluptatis. Attica muſa, oratio elegans & uenuſta. Vno ore, id eſt. ſummo conſenſu. Mali corui malum ouum, indocti præceptoris indoctus diſcipulus. A limine ſalutare, uix rudimēta guſtare. Animam debet, plus debet, q̄ habet. Scopū attingere, quod optamus conſequi. Similes habēt labra lactucas: cum ſimile ſimili, ineptum inepto contingit, dicimus. Rara auis, res rara. Lolio uictitāt cæcutiunt. Spem precio emere, ſpem incerti commodi mercari certa pecunia. Promus magis, quàm condus, in prodigos. Ab ouo uſque ad mala, ab initio uſque ad finem. Sequitur uer hyemē, id eſt, poſt hæc meliora. Tragice loqui, uerbis uti ſublimibus. Camelus ſaltat, ubi quiſpiam nititur reluctante natura: ut ſi ille qui loqui uix poſſet, diſertus uideri cupiat. In magnis & uoluiſſe ſat eſt, in omni re honeſta conatus laudi datur. Ante tubam trepidas, metuis prius, q̄ ſit metuendum. Venter nō habet aures, de famelico, qui inter prandendum nō audit loquentiū rationes. Obuiis ulnis, cupide. Præmanſum in os inſerere, aperte inculcare. Leo ſenex uigente

F potior

potior hinnulo,eruditi ſenis ingeniũ præferendum iuuenili.Demulcere caput,blandiri. Arcadicũ germen,de magnis & ignauis corporibus. Niobes mala,id eſt,maxima. Chamæleonte mutabilior,de inconſtantibus. Sardonius riſus,in illum qui iratus, non ex animo ridet. Canis reuerſus ad uomitũ,ad priſtina uitæ errata. Eiuſdem farinæ,ſimilibus moribus.Siculus miles:de eo,qui nullum laborẽ quãlibet ſordidum recuſat lucri gratia.Receptui canere:militẽ à pugna reuocare. E flamma cibum petere:omnia cibi gratia facere ac pati.Adhuc cælũ uoluitur:adhuc ſperandum eſt.

NOMINA SVBSTANTIVA SYNONYMA.

ARs,*acumen,ſolertia,ingenium.*

Effigies, *aſpectus, ſpecies, ſimulacrum, imago, forma,ſimilitudo.*

Mora,*interuallũ,ſpatiũ,intercapedo,interſtitiũ*

Vſus,*utilitas,emolumentum,commoditas,fructus, frugem.*

Puerorum *ritu,more,conſuetudine,modo.*

Nomen,*cognomen,cognomentum,appellatio,uox, uocabulum.*

Adiumentum,*auxilium,ope humana.*

Ad Periphraſin ſpectantia.

Ratio,*natura, interpretatio, lex, tractus, magno agrorũ tractu hauſto,contẽplatio, cognitio,ordo,*

numerus

*numerus,iudicium,ſignificatio,experimentum,miraculum,cõiectura,præceptiones,ſitus,poſitus,obſeruatio,materia, conſuetudo,uſus,nomẽ,uox,nota forma,formula,facies,imago,ſtructura,decor, pulchritudo.*Mundi *pulchritudinẽ aggredimur : pro mundum.Gratia,uis,magnitudo, coniectatio, ſpectaculum,conceptaculum,cura,ſedes,monumẽtum, facinus,auſus,turba,contextus,laus,gloria,uiciſſitudo,res,uices,deſcriptio,finitio,moles,negotium effigies,conuexitas,fama,oſtentatio, memoria,officium, ſententia, fines,metæ,cauſſa,numen, mens animus,pectus.* Quæ *tanta eſt humani pectoris ignauia?pro hominis.*Ingenium,cardo,mutatio.

NOMINA ADIECTIVA

P*olitum,uenuſtum,pulchrum,ſpecioſum,ornatum decorum,operoſum,iucundum,blanda.*

I*nane,uanum,otioſum.*Nihil *habens præter otioſam oſtentationem.*

I*ſta, hæc, iſtæc.* I*ſtæc omnia ad cæleſtium rerum intellectum pertinent.*

C*rebrum, frequens,uſitatum, uulgare, familiare, tritum,protritum,in uulgatum.*

I*lluſtris,nobilis.* G*ellius.* A*utoritates nobiliũ* M*edicorum.*

F*œdum,deforme,obſcœnum,ſpurcum,turpe.*

VERBA.

T*radere,narrare,memoriæ mandare.* G*ell.*M*emo*

 riæ man

riæ mandatum eſt Platonem. *Memoriæ tradere, memoriæ prodere, memoriæ dare, oſtendere, exequi, abſoluere, recenſere, loqui, exponere, exprimere, aperire, eloqui, ediſſerere, explicare, referre, aggredi, tractare, enumerare, reddere.* Plin. Igniũ *reddamus aliqua miracula.* Demonſtrare. Plinius. *Demonſtrabimus uolumine proximo.* Interpretari *admonere, adſcribere, prodere, recitare, memorare enarrare, uerba facere, agere, explanare, peragere ſignificare, declarare, patefacere, palã facere, indicare, depromere, adferre, expedire, deliniare, ſcriptitare, tonare.* Plin. *Tonas laudẽ.* Mentionẽ face*re, cõſectari.* Valer. *Sed qd ego iſta conſector?* Im*morari.* Valerius. *Quid in his immoror?* Docere, *meminiſſe. Quæ nunc meminimus.* Dicere. H*æc omnia ad tranſitũ pertinent, quando nos de re aliqua dicturos pollicemur: nonnunquã ad citationes autorũ.* Vt *uſus intelligatur: exẽplum ſubiungã.*

Nunc arborum rationem, ſeu naturam trademus, narrabimus, exequemur, abſoluemus, eloquemur, explicabimus, docebimus.

Diuidere, diſtinguere, partiri, diducere, diſtribuere, diſcernere.

Inuenire, reperire, eruere.

Vrgere, cogere, compellere, impellere.

Intelligere, capere, ſcire, accipere, percipere, cognoſcere.

Caſtigare, reſtituere, emendare, corrigere.
Refutare, confutare, diluere. Gell. *Concluſio refutari, ac dilui ſic poteſt.*
Aiunt, inquiunt, dicunt, adfirmant, ferunt, uolunt cenſent. fama eſt, rumor eſt.
Auſpicor, incipio, incohoo, ordior, incepto, aggredior, adorior, exordior, exordium ſumo.
Opinor, arbitror, exiſtimo, puto, reor, credo, futurũ iam tum augurabamur, cenſeo, iudico.
Meo, eo, gradior, incedo, peragro, permeo, ambio luſtro.
Spectare, uidere, cernere, contueri, intueri, conſpicere.
Mirari, mirationi eſſe.
Vocare, appellare, dicere, nominare, nomen indere Pomponius. *Cui cæli nomẽ indidimus. Nomẽ uſurpare pro uocari.* Mela. *Quæ nomẽ Aphricæ uſurpat. Luciferi nomen accipit. frequens apud Pliniũ Compellare, nomen dedit.*
Tenere, notare, meminiſſe. Gel. *Memini me audiſſe*

	Efficitur	
	Colligitur	
Ex his	*Relinqtur*	*Nihil eſſe imbecillius hoĩe.*
	Sequitur	
	Conſeqtur	

Relinquitur ergo quicquid confirmandum eſt, ex aliquo alio fidem adſequi. Non ob id efficitur, ut

perturbentur loci.

Docti autores ſæpenumero utuntur infinitiuis. Vt Plin. lib. 2. Fulgetrum prius cerni, q̃ tonitruũ audiri certum eſt. Idẽ. Mediam eſſe mundi totius terram haud dubiis conſtat argumentis. Id faciũt appoſitis particulis, quæ ſequuntur:

Palàm fit, aiunt, manifeſtum eſt, conſtat, quis dubitat? uolunt, neceſſe eſt, nam hoc quidem peruulgatũ eſt, neminẽ latet, illud iam omnes fatentur, apparet, obſeruatione dignum eſt, ſcitu dignum eſt, conuenit inter omnes, exiſtimãt, arbitrantur, haud dubiis conſtat argumentis, haud dubium eſt.

ADVERBIA.

Multum, impendio. Teren. Animus impendio gaudebat. Summopere, non mediocriter, non parũ, admodum, mirũ in modum, mire, oppidoquam, perquã per q̃ mediocre ingeniũ, abunde, abunde pulchrũ.

Sæpe, ſæpenumero, plerunq;, frequenter, crebro, ſubinde, identidem.

Aliquando, quandoq;, nõnunq̃, interim, interdũ.

Quomodo, qua ratione. Haud ſcio qua ratione id euenerit. Qua uia, ſolertia, qua induſtria, quo noĩe

Perfecte, exquiſite, abſolute, ad perpendiculum adamuſſim, exacte, accurate, elaborate.

Sedulo, certatim.

Aduerbia ſpectantia ad laudem.

Eleganter, placide, & comiter reſpondit. Vere ac

diſerte

diſerte ſcripſit. Scite mehercules ac dilucide. Gel. Non illepide exponũtur. Quàm facete. Vir adprime doctus. Gell. Lepide mehercules, et ſcite Baſſus interpretatur.

Propè, penè. Italia tantum non uniuerſa.

CONIVNCTIONES.

Quia, quando, enim, etenim, quippe qui, aut quippe quum, utpote qui, uel utpote quum, ut qui, nanq; quippe.

Sed, uerum, cæterum, at, ueruntamen.

Quod, quia, quoniam.

Quare, quamobrem, igitur, ideo, ergo, iccirco, quapropter, quas ob res, eam ob rem, propterea, qua de re, itaq;, proin. proinde, quocirca, unde, inde.

Varia copiæ exempla.

TVm doctus tum probus. Doctus pariter ac probus. Doctus ſimul & integer. Nõ minus probus, q̃ literatus. Nõ perinde doctus, ac probus. Nihil æque conducit ad beate uiuendum. Nihil ad parandas opes conducibilius. Nihil ad eam rem confert. Plurimũ adferet adiumenti. Vtile ad parandos amicos. Plurimas ad res liber hic uſui futurus eſt. Quid faciunt ad uirtutem nummi? Res iſta frugifera erit. Hæc oĩa conducunt hepati, conferunt ſtomacho. Nunc negationũ modos aliquot ponemus. Neminem audit, ne parentẽ quidẽ audit. Non audit uel parentẽ. Nemo parem referre gra-

tiam parenti poteſt, ne malo quidem. Nec malo parenti quiſquam referre gratiam poteſt. Nō poteſt par gratia rependi patri uel malo. Non reliquit ille nec ruinam. Ne ruinam quidem reliquit. Hic eodem ſenſu nunc negationibus duabus, nunc una duntaxat utimur. Non ueretur neq; deos, neq; hoīes. Neq; deos, neq; hoīes ueretur. Nō ueretur aut deos, aut hoīes. Nō metuit hoīeſue deoſue, in carmine. Cic. Cupiditatibus nihil nec tetrius, nec fœdius excogitari poteſt. Plin. A morte ſenſus nullus, aut corpori, aut aīæ. Hic una, duabus, & tribus negationibus idem efficitur. In occaſum uergit multis modis ſic explicare poſſumus. Vergit in noſtrū mare, in occaſum. Ora, quæ ſpectat Oceanum. Corinthos utraq; maria contuens. Britannia Rheni oſtia proſpicit. Dorſo procedit in pelagus in occidentem. Pyreneus in Britannicū procurrit Oceanum. Ab ea parte, quæ ſpectat occaſum. Pergit ad occaſum.

Diuiſionum, ac ordinis exempla.

NEminem non laceſſit, hunc ſcriptis, illum conuitiis, alium minis. Cice. 3. de na. deorū. Solem deum eſſe Lunamq;. Quorū alterum Appollinem Græci: alteram Dianam putant. Val. Max. Quarū prima inopia: proxima occupatione: tertia ancipiti fortuna præſtatur. Cice. lib. 3. de na. deo. Primum ut uelles docere deos eſſe. Deinde quales

eſſent

eſſent. Tum ab his mundum regi. Poſtremo conſule-re eos rebus humanis.

Laudandi rationes.

Vir & uita, & moribus non minus proba-tus, q̃ eruditione rerũ plurimarum clarus. Argumentũ perſpicuũ. Eſt & illud tũ laude, tum admiratione dignũ. Verſus amœniſſimos. Docti hoĩs, & in penſitãdis, intelligendisq́ ueteribus ſcri ptis bene callidi. Hoĩes amœni, & noſtras quoq; literas non incurioſe docti, Gellianum.

Autores citandi formæ.

NE Enniũ et cæteros Poëtas imitemur, q̃bus hoc modo loq conceſſum eſt: Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus Cæſæ cecidiſſent. Velut apud Plautũ: Amicũ caſtigare ob meritã noxiam immane eſt facinus. Velut Pacuuius. Fortunã inſa nã & cæcã eſſe perhibẽt. Verg. certe uerſu teſta-mur, Inter uictrices hederam tibi ſerpere lauros. Vehementius apud Ouidiũ Medea dicit: Seruare potui, pdere an poſſim rogas? Quale eſt. Quẽ alie-nũ fidũ inuenies, ſi tuis hoſtis fueris? Et id qđ modo dixi. Quid ſatis eſt, ſi Roma parũ? Et apud eundem autorẽ. Audes fulcire ruinã, Sub qua Roma iacet? Et: Cũ meretricis ſit, quod amator odi. Theopõpus apud Athenæũ li. 2. μαλακωτέρα. Carmẽ extat in Iliados ult. lib. quod nõ ab re fuerit adſcribere: ...σιοι. Ariſtoph. in Ranis: τίσ τὴν θύραν. Hora. in arte

in arte poëtica. Multa ferunt anni uenientes cõmoda ſecũ. Iuue. *Circumſilit agmine facto.* Nos itẽ *in libris de mũdo:* Solẽ *ſemp.* *Prouerbii meminit &* Suidas, *&* Heſichius. *Verg. hoc quoq; refert:* Dilectæ Thetidi Halcyones. *Finitimũ eſt illi qđ alio dictũ eſt loco.* Non *ſemp.* Itẽ *alibi.* Noſce tempus. *In hãc ſententiã extat & huiuſmodi ſenarius.* τῶν δυσυχȣ́ντων. *Huc alluſit* Theocri. *in* Encomio Ptolemæi. Nec *ſecus ac formicarũ.* Ariſtot. *memoriæ tradidit, mãdauit, mulierẽ in Ægypto uno partu quinq; pueros enixã. Laberius in mimis quos ſcriptitauit, oppido quã uerba finxit prælicenter.* Ariſtoteles *qđ ſyllogiſmus eſſet, his uerbis definiuit:* λόγ☉ ἐν ῷ. *In proble.* Ariſt. *philoſophi, ita ſcriptum eſt:* Condigne *mehercle, & cõdecore* Chryſippus, *in librorũ q inſcribuntur* περὶ καλȣ̃, καὶ ἡδονῆς *primo. os & oculos* Iuſtitiæ, *uultũq; eius ſeueris, atq; uenerãdis uerborũ coloribus depinxit* Verba Sal. *in* Iugur. Is *plerũq; à rege exercitũ ductare ſolitus erat.* Verba *ipſa adeo* Theophra. *ſup ea re adſcripſi:* οὐκ οἶδα. *Verba ipſa ſuper ea re* Varronis *poſuimus.* In quo Lælius *noſter.* Hæc Varro *in.* 1. *lib. ſcripſit, de ratione uocabulorũ ſcitiſſime: de uſu utriuſq; linguæ peritiſſime.* Verba *hæc* Ciceronis *ſunt, quæ adpoſui:* Sed tamẽ quoniã Eius *decreti uerba hæc ſunt.* Arborei fœtus, *et deinceps adhuc multa.* Poſt *deinde idẽ* Theophraſtus

ad hanc